







Q. D. B. V.

871.

COLLEGII CRIMINALIS PUBLICI

26

DISSERTATIO PRIMA

De

1665

6

OBLIGATIO.

NIBUS EX DELICTO,

&

PRIVATIS DELICTIS

in Specie

Quam

Consensu Amplissimæ Facultatis

JURIDICÆ,

IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI,

P R Æ S I D E

*Viro Excellentissimo, Nobilissimo & Consultissimo*

DN. WERNEROTHEODORO MARTINI,

J. U. D. & PAND. P. P. CELEBERRIMO, CONSI-

LIARIO ELECT. SAXON., CURIÆ ELECT. CONSI-

STORII ECCLESIAST., FACULT. ET SCABIN.

ASSESSORE GRAVISSIMO, p. t. DECANO

SPECTABILI.

*Dn. Patrono, Cognato & Hospite suo omni observantia & bonoris cultu prosequendo, Publicæ ventilationi submittit*

ERNESTUS FRIDERICUS HÜBENER,

Martisburg.

*In Auditorio Jctorum*

ad d. 11. Novemb.

WITTEBERGÆ, LITERIS MICHAELIS Wende / Anno 1665.







\* I. \*

I. N. D. N. J. C.  
DISPUTATIO CRIMINALIS PRIMA

De

# OBLIGATIONIBUS EX DELICTO

&amp;

PRIVATIS DELICTIS

RESPONDENTE

ERNESTO FRIDERICO HÜBENERO,

Martisburgensi,

CAPUT PRIMUM

SECT. I.

De

OBLIGATIONIBUS EX DELICTO

IN GENERE.

SUMMARIA.

1. Obligatio quid.

2. Quotuplex.

3. Ex maleficio.

4. Harmonia utriusq; obliga-  
tionis.

5. Differentia.

6. Utriusq; idem finis.

7. Solutio utriusq;.

8. 9. Quis debitor &amp; Creditor.



Obligatio, quæ juris est vinculum, quo  
necessitate astringimur alicujus rei sol-  
vendæ gratia, pr. Inst. de obligat., cum non eo  
saltem spectare videatur, ut aliquod cor-  
pus nostrum faciat, i. e. ut dominium ali-  
cujus rei acquirat, sed ut alium quoq; nobis astringat ad  
dan-

A

dan-



2 DE OBLIGATION. EX DELICTO.  
dandum vel faciendum aliquid, *l. 3. obligationum. ff. de Obliga-*  
2 *gat. & Action. Vultej. ad Inst. tit. de Obligat. pr. num. 13.*, rectè di-  
spescitur inter alias divisiones, in illam, quæ venit ex  
Contractu, vel quasi, & eam, quæ oritur ex maleficio vel  
3 quasi, *§. fin. sequens divisio. Inst. de Oblig.* Quæ obligatio po-  
sterior dicitur unius generis esse, & ex re nasci, i.e. ex ipso  
maleficio veluti furto, homicidio, &c. *prin. Inst. de Oblig. quæ*  
4 *ex delict. nascuntur*: Et videtur in eo harmonia quædam  
obligationis ex contractu & delicto, quod utraq; sit facti  
& ex facto oriatur, *l. 1. ff. de V. O. & pr. Inst. h. t.* nisi quod illa  
5 factum secum ferat probatum, jure gentium & civili per-  
missum & dispositum, hæc autem factum improbatum  
& LL. vel juris naturalis, gentium, civilis & Canonici, &  
quod omnium primum est divini certis poenis prohibi-  
6 tum. Quæ tamen facta, licet sibi invicem contraria ap-  
pareant, obligatio tamen quæ inde nascitur, eundem fi-  
nem respicit & collimat, nempe utilitatem civium &  
7 tranquillitatem in societate & vita civili, ut obligatio ex  
delicto, poenæ, ex contractu, debiti præstatione & solutio-  
ne solvatur, & qui debitor in contractibus fit consenti-  
endo, in delictis fiat delinquendo & committendo, *Vul-*  
8 *tej. pr. Inst. de Obligat. quæ ex delict. nascuntur*, & jure civili Ro-  
mano in obligatione ex delicto, alter dici posse videat-  
ur debitor qui lædit, & alter Creditor, qui ex læsione &  
delicto debitorem & delinquentem sibi obligatum ha-  
bet, quamvis hæc appellatio magis frequentetur inter  
Contrahentes: & in materiâ Criminali debitores magis  
ex usu delinquentes, Malefici, Rei, vel accusatores & ac-  
cusati *t. t. C. si reus vel accusatus mortuus fuerit*, vel speciali  
nomine pro cujusque delicti qualitate appellentur,  
Fures, Homicidæ, &c.



SECT.

23.



## SECT. II.

De

DELICTORUM VARIIS VOCABULIS SYNONIMIS.  
SUMMARIA.

- |                                     |                                   |
|-------------------------------------|-----------------------------------|
| 1. Methodus.                        | 9. Quæ non observatur,            |
| 2. 3. 4. 5. 6. Delictorum Synonima. | 10. Alia Synonima.                |
| 7. Usus promiscuus.                 | 11. Crimen & delictum quotidiana. |
| 8. Subtilis distinctio.             |                                   |

Cum tot sint obligationes ex delicto, quot delictorum genera: De Delictis in genere & postmodum de singulis, eorumq; variis speciebus, ante omnia dispiciendum, cum ea docendi methodus sit optima, quæ à generalibus ad specialia descendit, *S. his igitur. Inst. de Just. & jure.*

Delictum varia admittere videtur Synonima, ut modo maleficio *pr. Inst. b. t.* modo appelleretur crimen, *l. aliud fraud. ff. de V. S. in fin. in verb. criminis sive delicti, l. fin. ff. de privat. delict. in verb. nec cogendus erit in crimen subscribere.* modo flagitium *l. 6. cum sit injustum, in verb. qui in hujusmodi fuerit deprehensus flagitio, C. de sepulchro violato, l. 17. C. de accusat. l. 16. C. de poenis, l. 31. si quæquam. C. de Episc. & Clericis. in verbis à sacris aditis repellatur piacularæ flagitium,* modo Scelus *l. 1. C. de privat. carcer. inhibendis, in verb. majestatis crimen proculdubio incursum est, qui cognito hujusmodi scelere læsam non vindicaverit Majestatem, & deniq; Facinus, l. 1. C. de priv. carcer. inhib., in verbis. interdictum facinus in quocunq; loco committi: Quæ vocabula Delicti, Criminis, Flagitii, Sceleris & Facinoris, promiscuè in LL. Romanis sumuntur, quamvis subtilius quoq; ab invicem distinguantur, & privata delicta, nomi-*

A 2

ne de-



## DE DELICTIS

ne delictorum, crimina nomine publicorum, *Vultej. Jurispr. Roman. Lib. 1. cap. 45.*, quæ dolo & malo animo, & non omittendo, sed committendo fiunt maleficia; atrociora autem delicta, ut Crimen læsæ Majestatis, Adulterii, Sacrilegii, facinora & scelera ut plurimum vocentur, *l. 1. C. de privat. carc. l. 5. C. ad L. Jul. Majest., l. 6. jure mariti. C. ad L. Jul. de Adult., Petr. Theodoricus in Colleg. Crimin. disp. 1. th. 3. 4. 5. 6.*, in quam sententiam & *Prosper. Farinac. lib. 1. tit. 3. quest. 18. n. 5. p. 251.* inclinatur: hisce verbis: Licet differentia aliqua inter delictum, crimen & maleficiū sit in se vera, de stricto jure, eamq; sequantur *Bald. Alberic., Paul. de Castr., Jacob. de Sancto Gorgio, Aretin. & alii comm. in d. l. 1. C. si advers. del.*, non per hoc tamen credas prohiberi, quin unum quandoq; capiatur pro alio, *Blanch. in pr. Criminal. p. 47. n. 38.*

IO Qua ratione vero delicta & crimina præter ante enarrata homonima differant à Peccato, Vitio, Malitia, Iniquitate, Dolo, Fraude, Culpa, Excessu, Nequitia, Improbitate, Noxa, Probro, Injuria, *Tiberius Decianus Italicorum Criminalistarum, meo quidem calculo, facile Princeps, eruditè & ingeniosè demonstrat, tract. suo Crimin. Lib. 1. capitib. 17. integris per tot.*, cui si placet jungi potest *Bartol. Tegeus in pract. Crimin. part. 1. n. 2.*

II Inter omnia illa vocabula, Peccati nos putamus Theologis esse generalissimum cum *Prosp. Farinac. l. 1. tit. 3. quest. 18. n. 1.* Criminis autem & delicti iuris magis familiare quo etiam eos tam in Theoreticis quam Practicis frequentissimè uri deprehendimus; Videri hac de re plura possunt apud *Petr. Theodoric. Coll. Crim. disp. 1. th. 1. usq; ad th. 7.*

### SECTIO III.

## DE DELICTORUM DEFINITIONE.

### SUMMARI A.

1. *Connexio.*

2. *Dd. variae Definitiones.*

7. *De-*



7. *Descriptio Autoris.**Lex pracedat.*8. *Requisitum Delicti primum* 9. 10. 11. *Tria requisita alia.*

**V**erborum significationē, rerum merito comitatur co-  
gnitio, quæ absoluitur potissimum Definitione & Di-  
visione.

In Definitione quidem Delicti Dd. non satis inter se  
conveniunt: Sunt enim qui cum *Augustino in lib. de duab.  
animab.* Factum dicunt cum voluntate acquirendi vel re-  
tinendi, quod iustitia vetat. Sunt qui cum *Tiberio Decia-  
no* describunt *factum hominis vel dictum vel scriptum dolo vel  
culpa à lege vigente sub pœna prohibitum, quod nulla causa excu-  
sari potest, Tib. Decian. lib. 2. tract. Crimin. cap. 3. num. 2.*; Sunt qui  
brevisimè delictum appellitant, *offensionem contra jus illa-  
tam, Vultej. in commentar ad Inst. de Obligat. quæ ex delict. nascun-  
tur. pr. n. 4. & 5.*; Sunt qui circumscribunt; quod sit: *factum  
juri contrarium à voluntate hominis proveniens, quo ob proprium  
commodum, iram ac libidinem explendam, alium publicè privatim-  
que offendit, seq. per hoc ad pœnam laeso obligat. Petr. Theodoric.  
Colleg. Crim. disp. i. th. 7.*; Sunt deniq; inter Dd., qui *factum ob-  
ligatorium* vocant, ex quo *persona ladens*, alteri laeso ad pœnam;  
*virtute legis est obligata, Renneman. I. R. G. mem. 3. disput. 43. th. 1.*  
vel etiam cum *Habnio* *turpe factum contra leges Reipub.*, vel  
quo *nocendo alteri aut aliis modis contra LL. Reip. agitur &c.* Ve-  
rum cum Delicti vocabulum modo generalius sumatur,  
modo specialius, subseribimus Deciano, qui & hac in ma-  
teria definitionem periculosam uti in omni jure esse au-  
tumat, contenti aliqua descriptione, in qua id observe-  
tur quod frequentius in Delictis considerari solet; Et ita  
sensu Juridico Delictum vocamus: *Legis vel Divina vel bu-  
mana realem transgressionem, sive committendo sive omittendo  
fiat, quâ vel Deum vel proximum vel nosmetipsos ladimus, & ad  
certam pœnam luendam nos obligamus.*

A 3

Qua-



Quatuor nempe ad essentiam & substantiam Delicti sunt necessaria (1) *ut lex præcedat, quæ delictum improbet*; quod enim sit lege permittente, prohibitum non est, nec Delictum, nec videtur legem transgredi quam non habuit, Adeo ut omnino sit approbanda illorum sententia, qui priorem debere esse legem delicto, judicant *Roma, 7. Peccatum non cognovi, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: Non concupisces.* Nec refert hic, qualis lex delictum præcedat, num Naturalis vel Gentium, vel Divina sit, vel Canonica, vel Civilis, cum toties nos delinquere certum sit, quoties vel naturalia vel divina vel humana imò ipsam æquitatem lædimus, & transgredimur vincula & jura quibus nos obtemperare fas est, vel ut homines & Creaturas Creatori, vel Cives Magistratui; Quis enim Delictorum nomine indignum arbitretur, si quis naturæ, luxuriâ, manusq; propriæ illatione, vim inferat, Si alimenta Patres Liberis denegent, Legatos quis violet, fidē non servet, fraudulentè & dolosè agat; Non minus certa sunt delicta, quam quæ contra jura positiva humana & Divina committuntur.

Et ita delinquens coram competenti Judice pœnæ subijcitur pro qualitate delicti, sive ea certis jam legibus est determinata & ordinata, sive arbitrio Judicis commissæ & extraordinaria. (2) quod in omni Delicto requiritur, est Animus & Voluntas delinquentis, (3) Ipsum factum, cum obligationes ex delicto quas Legislatores attendit, ex re & facto nasci dicuntur, ab Imperatore Justiniano *pr. Inst. de oblig. ex delict.*, & ex voluntate sola nemo regulariter obligetur, *l. 18. ff. de pœn.* & deniq; (4) Damnum & injuria tertii; Vide de hisce uberrimè tractantem *Tiber. Dec. tract. Criminal. lib. 2. cap. 4. & seqq. De Substantialib. Naturalib. & Accidentalib. Delicti.*



## SECTION IV.

De

DELICTORUM VARIIS DIVI-  
SIONIBUS.  
SUMMARIA.

- |                                      |   |
|--------------------------------------|---|
| 1. 2. Delicta alia voluntaria & non. | 7. In committendo, omittendo.                                     |
| 3. Ecclesiastica & secularia.        | 8. Varia à causis & objectis.                                     |
| 4. Levia, gravia.                    | 9. Vera dichotomia in Publica & privata Ordinaria Extraordinaria. |
| 5. Capitalia & non.                  | 10. Dispositio sequentium.  |
| 6. Nominata.                         |   |

**N**on exiguus quoq; Distinctionum & Divisionum reperitur numerus apud Criminalistas in materia Delictorum, quando Crimina & Delicta scindunt, quod alia sint (1) Voluntaria alia involuntaria, ex l. i. ff. de LL. Senatusq; Conf., ubi tamen sciendum quod involuntaria delicta, minus propriè talia sint, vel certe leviora, ad delictum enim non sufficit, ut factum quid sit, sed scientia in faciendo, i.e. animus & consilium adsit. Cum enim ex mente Vultej, *delictum offensio sit contra jus*, vel delictum nullum est si quis non scienter offendat: Vel ut ego quidam arbitror, ex animo offendendi vel levius, vel gravius delictum censi debet. Unde est, quod cogitationis poenā in foro civili nemo patiatur quia deest factum, quodq; delicta ab infantibus, furiosis, brutis commissa, pro veris delictis non habeantur, quia deest animus & voluntas delinquendi. Vultej in Jurispr. Rom. lib. i. cap. 45., (2) Alia merè Ecclesiastica, v. c. hæresis, Apostasia, Simonia, quæ soli subjacent cognitioni Magistratus Ecclesiastici, c. tuam, de ordin. cognit., c. lator. qui filii sint legit.; Alia mere Secularia, v. c. Furtum, Homicidium, Rapina, &c. & Deniq; alia Mixta, Clar. in Pract.



4 *Pract. Criminal. §. 1. vers. pramitten. est.* (3) Alia levia, graviora,  
 5 atrocia, atrociora, atrocissima, *l. levia. ff. de accusat.* (4) Alia  
 6 capitalia alia non capitalia *l. 2. ff. de publ. judic.* (5) Alia no-  
 7 minata alia innominata *Bartol. in l. nunquam plura num. 4. de*  
 8 *priv. delictis.* (6) Alia consistunt in committendo alia in o-  
 mittendo, (7) A causa materiali, alia committantur ver-  
 bis, alia facto, alia scriptis, patientia, *l. aut facta ff. de pœnis.*  
 Alia in Deum, Principem, Magistratum, Proximum, Pa-  
 rentes, &c. Alia in causas publicas sacras, alia circa publi-  
 cas personas, alia circa personas privadas, de quibus o-  
 mnibus prolixi admodum sunt *Prosp. Farinac. lib. 1. tit. 3.*  
*quæst. 18. Tiber. Decian. tract. Crim. lib. 5. cap. 1., Petrus Theodoric.*  
*Colleg. Crim. Disp. 1. th. 19. & seqq., Jodoc. Dambaud. prax. Crimin.*  
*cap. 1., Herman. Vultej. Jurispr. Roman. lib. 1. cap. 45. & seq.*

9 Verum misis illis omnibus, ex quibus nonnullæ ab  
*Antonio Matthæo tract. erudito de Criminibus* planè rejiciun-  
 tur vel exploduntur, nos contenti erim⁹ & acquiescemus  
 principali Delictorum Dichotomiâ LL. Romanis potissi-  
 mum expressâ; Qua omnia Delicta vel *Privata vel Publi-*  
*ca*, & illa quidem per subdivisionem vel *Ordinaria vel Ex-*  
*traordinaria* dicuntur, *t. t. ff. de privat. delict., t. t. ff. & Inst. de.*  
 10 *publ. Judic., t. t. ff. de extraord. crimin.* Et hisce duabus Cri-  
 minum divisionibus adeo inharere animus est, ut opitu-  
 lante Divinâ gratiâ subsequens noster labor ita suscipi  
 debeat, ut præsentis quidem dissertatione de *Delictis Pri-*  
*vatis*, eorumq; Speciebus, subsequentibus autem aliquot  
 de *Delictis seu Judiciis Publicis*, & post hæc de Extraordina-  
 riis quoque Criminibus, Coronidis autem loco, de Pro-  
 cessu Criminali sit dicendum; Cui cæpto nostro ut  
 summum illud Numen ex alto benedicere velit, ab  
 eodem supplici precamur voto!

SECTION



PRIVATIS ET PUBLICIS.

9

CAPUT SECUNDUM.

De

PRIVATIS ET PUBLICIS DELICTIS IN GENERE.

*Ad Lib. 47. § 48. ff. § Lib. 4. Inst. Tit. 1. § seqq. § Tit. ult. d. Publicis Jud.*

SUMMARIA.

- |   |   |
|---|---|
| 1. <i>Publicorum &amp; Privatorum Delictorum.</i> | 7. <i>A loco publico.</i>                             |
| 2. <i>Ratio nominis.</i>                          | 8. <i>A lege publicâ.</i>                             |
| 3. <i>A modo agendi.</i>                          | 9. <i>Fallibile nomen publici.</i>                    |
| 4. <i>Quæ sola improbatur.</i>                    | 10. <i>Species Publicorum &amp; Privatorum Jud.</i>   |
| 5. <i>Ab objecto.</i>                             | 11. 12. & seqq. <i>Species Publicorum Delictorum.</i> |
| 6. <i>Ab utroq.</i>                               |   |

**C**ardinalem & LL. Romanis fundatam approbatamque diximus præcedenti sectione eam Delictorum divisionem, quâ alia dicuntur *Privata*, alia *Publica*, ob titulos LL. expressos. Sed de duobus inter Dd. non satis convenire video, (1) Unde *Privata* vel *Publica* vocentur Delicta num à modo agendi potius, quam objecto? (2) Quænam hodiè & Jure quoq; communi sint species Publicorum, quæ autem species Privatorum Delictorum?

Quod itaq; (1) *Appellationis rationem* spectat, quare alia delicta nempe dicantur *publica*, alia *privata*; Sunt, qui ex modo agendi, sunt qui ex objecto illam desumunt, sunt deum, qui utrumq; conjungunt. *A modo agendi* qui delicta publica vel potius publicorum judiciorum nominata arbitrantur fundamento nituntur §. 1. *Inst. de publ. Jud.*, ubi *Justinian. Imperator docet, inde dici publica judicia, quia cui-*

B

vis





- 4 *vis ex populo executio i.e. accusatio eorum plerumq; detur.* Verum quod hæc sola denominandi ratio non sit sufficiens, neq; ex ea perpetuo vel affirmativè vel negativè argui possit, pro more suo ingeniosè & eruditè pluribus demonstrat *Tiber. Decian sepe laudato tract. criminal. lib. 5. cap. 3. n. 5. & seqq.* Non enim sequitur, cuivis ex populo est concessa accusatio. E. delictum est publici Judicii, cum fallat in *accusatione suspecti Tutoris l. 1. ff. de susp. Tutor.*, in *accusatione de sepulchro violato, termino moto & popularibus actionibus.* Nec negativè: Populo non est concessa accusatio, E. non est publicum Judicium; Fallit enim in *partu supposito, crimine Adulterii*, ut ita non frustra vocabulum Plerumq; Imperator Justinianus adhibuerit in antea *alleg. §. 1. Inst. de publ. Judic.*, & inde verum est, quod *Vultej. Jurisp. Roman. lib. 1. cap. 45.* asserit: *Obligationem quæ ex delicto venit, dare actionem modo Reip., modo homini privato, modo utriq;: quæ ut modo ordinariè, modo extraordinariè, interdum civiliter, interdum criminaliter instituat, delictum tamen, cujus nomine instituitur, semper natura sui, esse & manere vel publicum vel privatum, etiamsi ex modo agendi atq; adeo ex accidenti, & publicum & privatū etiam dici possit; hæc*
- 5 *tenus Vultej. d. l.* Majoris itaq; ponderis altera illa videtur esse Etymologia ratio, quæ ab objecto, illa publicorum Judiciorum vocat delicta, per quæ non tam hic vel ille civis pro se privatim, quam tota Resp. seu publicus status leditur: quæ tanquam majoris momenti non à Magistratu, sed suprema Majestate vindicanda, censuit populus Romanus. Cum è contrario illa sint & Privata nominantur Delicta, per quæ principaliter & directo, non status Reipubl., sed civium privatorum aliquis, famâ, bonis, corpore leditur, quæq; adeo non vindicantur publicis LL. à quovis à populo, sed ex quibus privata & forensi actione agunt hi quorum interest, verba sunt Clarissimi Sutholti. *Dissert. 16. tb. 5. 6. 7.*
- 6 Ex quibus tandem patet, optimam esse illorum opinionem,



## PUBLICIS ET PRIVATIS.

II

nem, qui utrumque in appellandi modo *objectum* nempe cum modo agendi conjungunt; Quamvis nec aliæ rationes in *Jurisprudentiâ & Historiâ Romanâ* desint, quæ jam ante recensitis, à modo agendi & objecto desumptis jungi bene possunt; Inter quas non contemnenda est illa, quam *Suetonius in Augusto c. 29.* habet, quod Augustus præter forum Latium & Cæsaris, tertium construxerit summè magnificum, in quo publica exercitari solita sint Judicia! & fortitiones judicum: Quod *Plinius lib. 36.* inter insignia urbis opera connumerat, & testis est *Polybius*, quod publica judicia publicè coram populo sint executioni mandata; qui mos ab Italis ad Germanos aliosq; populos derivatus, & hodiè adhuc observari deprehenditur.

His omnibus addenda quoq; merito est illa nominis publicorum judiciorum notatio, quæ habetur in *l. 1. ff. de publ. jud. sc. non omnia Judicia, in quibus crimen vertitur & publica sunt, sed ea tantum, quæ ex legibus Judiciorum publicorum veniunt, pro publicis habenda*; Qua lege procul dubio motus *Petr. Theodoric. in Colleg. Crim. Disp. 1. tb. 10.* monet, in separatione delictorum publicorum à privatis, non simpliciter recurrendum esse ad appellationem vocabuli, vel inscriptionem tituli & Rubricæ, vel solam publicam accusationem &c., sed ad catalogum & numerum legum specialium publicorum Judiciorum, cum certum sit quod vocabulum PUBLICI multifarias patiatur significationes & explicationes uti multis ostendit *Prosp. Farinac. lib. 1. tit. 3. quest. 18. n. 8. 9. 10. & seqq. vid. Harprecht. in tract. crim. de publ. Jud. § 1. Inst. de publ. jud. ibidemq; Ludwell. in comment. ad Inst., Goeda de publ. & privat. delictis. Aruma. Exercit. Justinian. d. 17. exerc., Gomez. Clarum & alios.*

Ertantum de modo & ratione appellandi delictorum judiciorum Publicorum & Privatorum.

B 2

Sequi-



## DE DELICTIS

- 12
- 10 Sequitur (2) videre, quænam propriè sint species Privatorum, quænam delictorum Publicorum Judiciorum.
- 11 Si Jus Civile LLq; Romanas evolvimus, res videtur esse expedita: Cum *lib. 47. ff.* videantur crimina privata à publicis, quæ *lib. 48.* enarrantur, separata ac sejuncta, & *lib. 4. Inst.* hæc quatuor deprehendantur recensita, Furtum, Rapina, Damnum injuria datum, & Injuria.; Et *l. fin. ff. de priv. del.* iterum privata delicta distinguuntur in ordinaria & extraordinaria: Ordinaria autem in vera maleficia, furtum &c. vel quasi, qualis est imprudentia male judicantis, dejectio vel effusio ex ædibus facta, damnum in navi, caupona, stabulo datum, *t. t. Instit. de oblig. quæ ex del. nasc.*; Publica autem Judicia comprehendantur integro *libro 48. ff. & t. t. Inst. de Publ. Jud.*, propriè autem nominetenus recensentur *l. 1. ff. de publ. jud.* quod nempe sint Julia Majestatis, Julia de Adulterio, Cornelia de Sicariis &
- 12 Veneficiis, Pompeja de parricidis &c. Verum enim verò cum Jure Canonico, quod in multis articulis à Jure Civili interdum solius novitatis studio recedere assuevit, distinctio hæc videatur sublata, & hodiernis LL. Imperii poenæ delictorum variorum vel exasperata vel mitigata, & ita catalogus ille Juris Civilis Romani, publica vel privata delicta delineans & recensens, non incongruè dici possit turbatus, non immerito Quær: Quænam hodiè delicta ad species privatorum vel publicorum sint referenda? Circa decisionem hujus quæstionis illorum subscribimus sententiæ, qui à dispositione juris Romani non temerè recedendum putant, tum ne oriatur confusio in doctrina & explicatione LL. Romanarum, tum imprimis, quod jure Canonico nulla hæc delictorum differentia, expressis inveniatur verbis sublata, ergo illius dispositioni
- tioni



## PUBZICIS ET PRIVATIS.

13

tioni standum, quin imo quod contrarium in dicto jure Pontificio appareat, dum Simoniam ad crimina publica referendam esse docet, uti clarissimi J.Cti Gæddeus & Harprecht. & ex iis Petr. Theodoric. animadverterunt; Et ita non attento sed neglecto jure Canonico, ea privata appellamus delicta, ea autem dicimus esse publicorum judiciorum, prout ea ex libris Jurisprudentiæ hausimus & didicimus. Nec obstat (2) Quod in multis Delictis poenæ sint exasperata, uti ex Nemese Carolina constat in Furto; Non enim ob solam poenam delictum dicimus esse publicum, sed ex eo quoq; & potissimum, quod LL. publicorum Judiciorum hæc non annotata reperiantur, mutatio enim poenæ in delicto per legem novam de leviori in graviolem non operatur, quod dicatur per hoc crimen publici Judicii, & viceversa: Nec delictum privatum fit publicum perpetuò, ex eo quod speciali aliquo casu fiat publicum. Vid. accuratè de hisce differentem Tiber. Decian. tract. Criminal. lib. 5. cap. 4. pag. mibi 283. ubi n. 17. declarat, quamnam præter illa quæ l. 1 ff. de publ. jud. recensentur, & alia sint publicorum judiciorum crimina.

14

## CAPUT III.

## SECTIO I.

De

FURTO EJUSQUE DEFINITIONE ET REQUISITIS.  
SUMMARIA.

- |  |                                      |
|--|--------------------------------------|
| 1. Methodus in sequentibus observanda. | 6. Requisita varia.                  |
| 2. Privata Delicta Quatuor.            | 7. & 10. Contrectatio rerum.         |
| 3. 4. Furti Etimon.                    | 8. Consilium ad furtum quid?         |
| 5. Definitio.                          | 11. Furtum rei mobilis & corporalis. |

B 3

12. Unus



12. *Usus & possessionis.*13. *Rei aliena vel propria.*14. *Rei Communis.*15. *Hereditaria.*16. 17. 18. *Nullius & inventa.*19. *Thesauri.*20. *Fiat lucri faciendi causa & invito Domino.*21. *Necessitatis & famis causa.*

**P**ostquam igitur ea, quæ generaliter ad delictorum materiam pertinere videbantur, exposuimus, suadente jam ordine cœpto, progredimur ad singulas Delictorum species, superq; iis in formandis pœnis promulgata & dictata jura; Et methodo hac in parte utemur Juris civilis Romani, secundum ductum vestigiaq; Imperatoris Justiniani, eâ qua potest fieri brevitatem, primo de *Delictis Privatis*, tum de *Publicis* in specie, ac ultimo loco de *Actione*, quam *Obligatio ex Delictis* parit, i.e. de *Judicio & processu Criminali* acturi. Animus enim non est, sed ab instituto nostro prorsus alienum, prolixissimis illis, qui hactenus lucem viderunt, commentariis, alios addere & soli faciem, sed ex illis breves quasdam lineas ducere, quæ ansam Dissertationi publicæ præbere possint, & insimul ostendere, quomodo nostra jura, quibus in his resris *Electoratus Saxonie* utimur, & secundum quæ in Collegiis Juridicis & Scabinatibus de capite vel aliis causis criminalibus sententiâ ferre & respondere oportet, cum aliorum populorum, præsertim Romanorum LL. vel convenient, vel discordent; Jura quoq; divina & Canonicum in partem maxime vocantes.

**2** Quod itaq; Privata Delicta jam spectat: quatuor ab Imperatore Justiniano ordine interrupto *lib. 4. Inst.* aliquot titulis recensentur, *Furtum, Rapina, Damnum, Injuria*, non quod plures non sint, sed quod illæ species sint præcipuæ & frequentiores; Ut Imperator videatur hæc quatuor delicta magis exempli quam divisionis gratia allegare,



gare, quasi his cognitis, facilius cognoscantur & alia, *Vul-  
tej. commentar. ad Inst. pr. de obl. quæ ex delict. nascuntur num. 9.*  
Ex his cum primum & Principem locum obtineat FUR- 3  
TUM; de eo quoq; primo loco nobis est dicendum, con-  
templaturis (1) Ejusdem definitionem & requisita, (2)  
Divisionem, (3) Pœnam, (4) Actionem.

Unde Furtum dicatur *l. 1. ff. de furtis, § 2. Inst. de obl. 4  
quæ ex delict. nasc. exprimitur*, quibus quid tribuendum sit  
nominis allusionibus, cujusq; arbitrio relinquitur; Il-  
lam tamen nominis notationem, qua à ferendo vel *ἄρῃ* &  
*ῥῆπεν ῥῶρα*, dicunt, ad rem proximè accedere putat *Gellius*  
*lib. 1. noct. Attic. cap. 18.* & cum eo *Anton. Matthæus tract. de cri-  
minib. cap. 1. de furt. n. 1.* Magis de re solliciti & quid sit fur- 5  
tum investigaturi, inhæremus cum *Dd. passim* Definitio-  
ni, quæ tradita ab *Imperat. Justinian. §. 1. furtum Inst. de oblig.  
quæ ex del. nasc. § 1. § fin. ff. de furtis.* Quod nempe sit con-  
tractatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel et-  
iam usus ejus possessionisve, quod lege naturali prohibitum est ad-  
mittere.

Formamus ex hac definitione (in qua explicanda & 6  
salvanda ingeniose laboravit *prelaudatus Ant. Matthæus. d.  
tract. de criminib. c. 1.*) sequentia Furti requisita, sine quibus  
pro vero delicto haberi nequit. (1) *Res contractentur, vel ad 7  
usum transferendi, vel possessionis acquirenda gratia*; Sola e-  
nim cogitatio furti faciendi non facit furem, *l. 1. §. sola. 1. ff.  
de furt.*, nec scriptura propriè furtum committitur, uti  
nec ille furti tenetur qui animo furandi domum ingre-  
ditur, sed pœnitentiâ ductus nil contractat, *Job. Schneide-  
win. comment. ad Inst. §. 1. de obligat. quæ ex delict. nasc.* Quid au-  
tem de Consilio statuendum sit, non omninò videtur ex- 8  
peditum; Eum enim qui consilium furandi dedit, non  
minus furem esse, ac illum, qui manibus contractavit, as-  
serere



serere videtur Imper Justin. §. ii. interdum. Inst. de obl. quæ ex del. nasc. ubi dicitur: Interdum furti tenetur, qui ipse furtum non fecit, qualis est, cujus ope & consilio furtum factum est; sed verba §. sequentis 18. clara sunt, hoc intelligendum esse de eo qui & opem tulit & consilium dedit, qui enim nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed consilium tantum dedit, atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti, verba sunt alleg. §. 18. ope consilio. d. t. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. Ut ita solo consilio quis furtum non committat: quamvis aliter se habeat in actione servi corrupti, ubi delictum ex solo consilio censendum, Job. Schneidewin. Inst. ad §. interdum quoq. num. 14., committitur nempe furtum mente & corpore, non alterutro solo,

9 Vultej. Jurispr. Rom. lib. i. cap. 48. pag. 268. Quid verò per contractionem propriè intelligatur, nondum unanimis videtur Dd. esse sententia; Alii enim actuale rei ablationem, & de loco in locum translationem sensu juridico intelligunt; (cum ex rigore grammatico pro quovis contactu & palpatione rei alienæ sumi non possit) quorum sum inclinare videtur Jodoc. Damhouder. pract. crim. cap. 110. n. 9. contractionem pro ablatione interpretando: ex l. 3. §. 1. si rem ff. de acquir. possess. l. inficiando §. 1. ff. d. furt. Bartol. in l. 1. n. 3. vers. Quæro quid est contrahere. l. vulgaris in pr. & §. sed etsi de novis l. si quid fur. ff. d. furt. quod late deducit ex Jure Civili & Saxonico Benedict. Carpz. Pract. Crimin. p. 2. quest. 88. n. 4. & seqq. Sed rectius dicitur contractionem fieri posse, re tam loco mota quam non mota, Vultej. Jurispr. Rom. cap. 48. p. 267., Zæf. comment. ad ff. tit. de furt. n. 5. & ita statuimus ad furti crimen contrahendum, non necesse esse ut res auferatur, sed sufficit, si dolo malo contrahetur, quod in eo patet, qui rem furtivam celat, re depositâ vel pignoratâ utitur, & in eo fure, qui in ipso actu deprehenditur, licet



## DE FURTO.

17

licet nihil abstulerit, uti exemplis & LL. aliis deducit *Anton. Matthæus, tract. de crimin. tit. de furt. cap. 1. n. 2.* Leges enim à Carpzovio allegatæ & rationes loquuntur de pœna furti, quod illa tanta non sit in crimine attentato. (2) Re-  
 quiritur est ut rei sit contrectatio *sc. mobilis & corporalis l. 25. verum est, & l. 75. ff. de furt. rationem dant ab Etymo no-*  
*minis, quod furtum à ferendo dictum, intelligatur com-*  
*mitti in rebus quæ occultè auferri & furripi possunt, Mat-*  
*thæus d. tract. de crimin. cap. 1. n. 8.* ; Sub mobilibus autem et-  
 iam res se moventes, ut animalia, servi, liberi quoq; ho-  
 mines comprehenduntur, §. *interdum. Inst. de obl. quæ ex de-*  
*lict. nasc.*, l. 14. 13. 38. ff. de furt. ; Fundi igitur possessione si  
 quis fraudulenter dejiciatur ab alio vel Prædone, non a-  
 ctione experitur furti, sed remedio interdictorum spo-  
 liatus ante omnia restituendus ; Quod secus se habet de  
 arboribus, lapidibus, &c. è fundo sublatis, quæ actione  
 furti repetuntur, l. 25. *verum est. ff. de furt. idem est decretæ*  
*effossione l. si creta. ff. de furt.* Et harum rerum mobilium  
 & corporalium furtum etiam fit non solum si ipsa res pe-  
 nitus auferantur, sed & earum si contrectetur *usus saltem*  
*vel possessio.* Sic rei depositæ & commodatæ committi fur-  
 tum dicitur vel utendo & contrectando rem depositam  
 vel re commodata aliter, quam convenit & decet, utendo  
 & in alium usum transferendo, §. 12. *furtum autem fit, & 13.*  
*placuit, Inst. de obl. quæ ex del. nasc.* ; Quod tamen limitatur, si  
 Commodatarius putet, id non invito domino fieri, vel  
 revera non fiat. (3) Requiritur in Furto, ut contrectatio sit  
 rei alienæ, neq; enim quis rei suæ & propriæ furtum face-  
 re dicendus, cum non dicatur re abuti, qui ejus liberum  
 habet arbitrium, *Zæf. comment. ad ff. tit. de furtis. n. 3.*, quod  
 tamen de proprietate est intelligendum, fieri enim po-  
 test, ut res nostra sit, & alteri possessio vel usus competat,

C

i.e.



i. e. ut alter directum, alter utile habeat dominium rei, quo casu Dominus proprietarius usufructuario & possessori usumfructum vel possessionem intervertens, rectè furtum committere dicitur, quod & apparet in debitoribus, qui pignus creditori quod ei dederat, clanculum auferit, §. 16. *aliquando. Inst. de obl. quæ ex delict. nasc.* Quod non procedit, si quis rem suam apud alium, nullo titulo existente, subtrahat: modo revera ejus sit qui auferit, ubi, ut auferens rem propriam, ab omni pœna & culpa prorsus liberetur, quædam concurrere debent, *quæ vid. apud Henric. Zæf. comment. ff. tit. de furtis. n. 7.*

- 14 Quid verò si res pro parte mea, pro parte tua, i. e. communis sit? & in re quoq; communi furtum committi posse dicendum est, si nempe ex duobus sociis, alteruter rem, quæ utriq; communis est, subvertat, quatenus ea res alterius esse & dici potest nempe socii, *l. si socius. 45. ff. de furtis. l. rei communis. ff. pro socio*, quod fallit in re hæreditaria, cujus furtum fieri non potest, *l. 68. ff. de furtis. quia hæreditas jacens nullius in bonis est, l. 1. ff. de rer. division.* Bern-
- 15 *hard. Sutholt. dissert. 16. th. 18.* : Quod si res neque mea, neque aliena, sed nullius sit, Resp. Disting. num talis sit pro derelicto habita? & sit occupantis, nec in ea furtum fit, etiam si animum habeat furandi ille qui rem auferit pro derelicto verè habitam, *l. 43. ff. de furtis. Ægidius Bossius. tract. Crimin. tit. de furtis. n. 9. Cardin. Tusch pract. conclus. in verb. furtum concl. 556. n. 3.* ; vel de domino non constet & tamen inveniatur, num furti teneatur, qui rem inventam detinet? Et non videtur furti accusari posse, qui præviâ inquisitione de Domino, rem retinet, si publicato libello vel edicto, nemo veniat qui rem inventam repetat, quæ inquisitio fieri solet schedulâ affixâ vel alia significatione publica, & si negligatur, notam effugere malæ fidei possessoris.



fessoris, detinens rem inventam, nequit, sicuti etiam ille  
 qui post factam publicam intimationem rei inventæ me-  
 lius conscientia consulere videtur, qui rem inventam in  
 tertium quendam possessorem transfert, & ad exem-  
 plum peregrinorum intestatorum, bona pauperibus di-  
 stribuenda procurat, *Covarruv. ad c. peccatum. p. 3. §. 1. num. 25.*  
*Henric. Zoes commentar. ff. tit. de furt. n. 7. l. 43. §. proinde 8. ff. de*  
*furtis. in qua JCtus Ulpianus suadet, inventorem publicè*  
*promittere debere per præconem vel libellum publi-*  
*cum, se rem inventam vero domino restitutum, & si*  
*compareat, proculdubio res restituenda, si autem nemo*  
*reperiatur, si innops sit inventor, retinere, si dives pau-*  
*peribus distribuere potest ca. 1. nemo qui rapit. 14. quest. 5.*  
*Wesembec. in parat. ff. ad tit. de furtis, Matthias Coler. part. 1. decis.*  
*149. n. 3. De Jure Saxon. occultans rem inventam omnino* 18  
 furtum committere dicitur art. 37. lib. 2. Landr. Was ein  
 Mann findet/verläugnet er das ob man darnach fraget / so ist  
 es diebisch. A jure tamen Communi tripliciter recedit,  
 (1) certum terminum statuit intra 6. septimanas propo-  
 nendorum proclamatum (2) adveniente Domino tertiam  
 partem adjudicat inventori. (3) Si nemo veniat intra 6. se-  
 ptimanas, duas partes Judex tertiam inventor retinet d.  
 artic. 37. Landr. lib. 2. in verbis, Was ein Mann also findet/  
 oder Feinden und Räubern abjaget / das soll er aufbieten vor  
 seinen Nachbauern und vor der Kirchen / kömmt jener in 6. Wo-  
 chen dem das Gut zugehöret / &c. Et hæc quæ dicta sunt ha-  
 ctenus de rebus inventis non solum vera sunt de rebus  
 casu fortuito amissis & ab alio repertis, sed & de thesauri 19  
 inventione, in loco nempe alieno, dividitur enim, dimi-  
 dia inventori, altera domino fundi cedit, §. thesauri, verb.  
*at si quis in alieno. Inst. de rer. divis. vid. Berlich part. 2. conclus. 66.*  
*n. 9., Petr. Heig. part. 1. quest. 13. num. 55. imprimis autem, Bened.*  
*Carpzov. pract. Crimin. part. 2. quest. 80. per tot.*



- 20 (5) Ex definitione supra data, porro ad veram furti essentiam requiritur ut *Fraudulosa sit contrectatio*, & quidem *lucri faciendi gratia*, deniq; ut fiat *invito Domino*; Pater enim, & supra satis ostendimus, sine animo furandi furtum non committi, ut contrectatio jocosa, vel ab amico facta vel etiam necessaria tempore incendii facta, furtum non sit; Nec personæ quæ doli non sunt capaces, ut Infantes, Furiosi, Mente capti, furtum intelliguntur committere, sed illi soli qui se delinquere sciunt §. 25. in *summa. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc.*: Quod idem est si volente fiat domino, tametsi ab altero dolo contrectetur, quia videtur Dominus donare: Quod tamen fallit, si quis simulato nomine alterius vel personæ, voluntatem Domini sibi conciliet, cujus rei exempla sunt in l. 52. si quis uxori. §. apud Labeonem. ii. ff. de furtis. ab amico enim furtum non facile fieri solet, cum amicorum solent esse communia *ἡ τῶν φίλων κοινά* vid. Anton. Matthæum tract. de crimin. tit. de furtis n. 6.; quæ tamen, quæ dicta sunt, quod furtum non committat qui volente Domino contrectat dolo etiam, de remissione actionis saltem sunt interpretanda & de effectu agendi: Furis enim & delinquentis animus magis attendi solet ac debet, & quod in rei veritate est, uti ex adverso furtum non est si quis contrectaverit rem alienam, & putet id fieri volente domino, cum tamen ea revera fiat invito, quia deficit dolus & animus furandi, Bernhard. Sutholt. dissert. 16. t. h. 20. & 21.; Ut ita quoq; in iudicio non semper liber pronuntietur fur, si dominus dicat ex post facto, se non invito factum, ne delicta maneant impunita, Schneidewin. ad Inst. §. furtum. n. 7. Num autem furti species sit, si arctioris annonæ tempore fame quis stimuletur ad furtum Quæritur? Et affirmativæ subscribimus cum Anton. Matthæo. d. l. de furtis n. 7. Suum enim cuiq;



cuiq; incommodum ferendum potius quam de alterius commodis quicquam subtrahendum: Quamvis à poenâ ordinaria liberetur ille quicunq; necessitate famis coactus furtum committit *Carpz. Prax. crim. p. 2. quest. 83. n. 42.* Et tantum de Definitione.

## SECTIO II.

De

## VARIIS FURTORUM

## SPECIEBUS.

## SUMMARIÆ

- |   |                              |
|---|------------------------------|
| 1. Furtum delictum frequentissimum.               | 13. Arborum furtim casarum.  |
| 2. Multiplex.                                     | 14. Expilata hereditatis.    |
| 3. Manifestum & nec manifestum.                   | 15. Termini moti.            |
| 4. Num detur tertia species mixta.                | 16. Abigeatus.               |
| 5. Diurnum, nocturnum.                            | 17. Plagium.                 |
| 6. In foro nulla divisionum harum observantia &c. | 18. Sepulchri violati.       |
| 7. Domesticum & famosum.                          | 19. Balnearium.              |
| 8. n. Res furta distinguunt & poenas.             | 20. Peculatus.               |
| 12. Tigni juncti.                                 | 21. Sacrilegium.             |
|   | 22. Incendiarium & navale.   |
|   | 23. Aratri & Apium.          |
|   | 25. Simplex & qualificatum.  |
|   | 26. Compositum & combinatum. |

Quemadmodum Furtum, inter omnia delicta ob summam, aliena habendi rapiendiq; libidinem, frequentissimum est, ut in coërcendo nec patibula nec cruces sufficere videantur, iudicio clariss. *Matth. Wesenbec. in parat. ff. ad tit. de furtis. n. 1.* & ideò non immeritò à *Jodoc. Damboud. prax. criminal. cap. 110. num. 1.* omnium criminum vocetur generalissimum quod ubiq; gentium tam familiare est, ut



vix ullum inter mortales reperiatur aut frequentius aut notius, eoq; non minus ad societatem humanam tuendam perniciosum & detestabile, omniq; jure prohibitum; Ita tot genera, tot modi, tot fraudes furandi indies revelantur, ut omnibus furtorum speciebus nec nomina  
 2 suppetant. Præmissâ itaq; præcedenti *Section. I.* Definitione furti, ad varias ejusdem descendimus species, his subjungendo sequenti quoque sectione, diversas eorundem pœnas.

3 Ut autem à legalibus Juris Civilis Romani Divisionibus ordiamur (1) *Furtum* vel *manifestum* est, vel *nec manifestum*, sublata postquam differentia est, inter furtum conceptum & oblatum, §. 3. *furtorum autem genera. Instit. de obligat. quæ ex delict. nasc.*: Et *Manifestum* quidem furtum dicitur, quando fur in ipso actu furandi, vel in eo loco ubi furtum fit, v.g. in domo, vinea, oliveto, horto, deprehenditur: imo qui visus vel deprehensus fuerit sive in publico sive privato, sive à Domino sive ab alio, antequam eo pervenerit, quo rem perferre ac deponere destinasset; Ex qua perspicua furti manifesti descriptione è contrario statim apparet, *Non manifestum* esse, si vel dicto modo fur non deprehendatur vel in loco & actu furandi, sed rem jam occultè pertulit, quo destinaverat, §. *manifestus fur. & §. nec manifestum. 24. & 25. Instit. de obl. quæ ex del. nasc.* Et ut dicto modo furtum manifestum vocetur, requiritur, ut fur vel manus injectione deprehendatur, vel oculis conspiciatur, modo alterutri horum, conjungatur acclamatio, sive ab ipso rei furtivæ domino facta, sive ab alio, *Herm. Vultej. Jurisprud. Roman. lib. 1. cap. 48. pag. mibi 269.* quod Græci ἐπ' αὐτῷ φῶγῳ vocant. Et clamor ille: *Fures, Fures*: aut quo te proripis fur, etiā jure 12. tabb. exigebatur, antequam liceret furem occidere l. 4. ff. ad L. Aquil.; Furti  
 nec



nec manifesti tenetur ille qui opem & consilium dedit. Num autem ex l. 21. vulgaris. ff. de furt. tertia species recte 4 inducatur, nempe quod detur casus ubi furtum manifestum pro parte sit, pro parte nec manifestum quaeritur? Et recte Negatur ab Anton. Matth. tract. crimin. cap. 1. de furt. n. 11., cuius opinioni accedendum putamus. (2) Ratione 5 temporis aliud Furtum diurnum, est aliud nocturnum, quorum illud interdiu, hoc noctu commissum, quod posterius atrocius est, Herm. Vultej. jurispr. Rom. lib. 1. cap. 48. pag. 270. l. 54. §. 2. ff. de furt., l. 9. ff. ad L. Cornel. de siccar. l. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil., l. 1. §. 2. ff. de fur. balnear. Sed circa dictas priores illas 6 divisiones duas furti, statim praemittendum, quod licet prima illa in manifestum & non manifestum directis verbis approbetur, & observanda praecipiat etiam in dictanda poena à Carolo Imper. Ordin. Crimin. art. 157. ibi: Ehe er dann in seine gewarsam förmlich nicht beschrien berichtiget würde / & alibi ist ein heimlicher geringer Diebstahl & propterea à Petro Theodor. Colleg. Crimin. Diss. 2. th. 2. lit. b. hæc divisio nec nostris moribus inutilis judicetur quoad poenam infligendam; Illa tamen in poenis dictandis in Electoratu Saxon. uti & posterior nocturni & diurni non observetur. Non obstante etiam eo, quod Jure Saxon. fur diurnus poena suspendii eximendus & gladio afficiendus, art. 39. Landr. lib. 2. in verb. Stilt er aber des Tages: Observantia enim fori Saxonici contrarium docet, test. Saxonia nostra Ulpiano Bened. Carpz. pract. crim. part. 2. quest. 78. num. 7. in eadem sententia, exiguum nempe usum hodiè esse divisionis in furtum manifestum & non manifestum est Oldendorp. class. 7. art. 3. sub pract. act., & Jodoc. Dambaud. prax. crimin. cap. 110. n. 50. in contrariâ est Bernhard. Zieritz. in not. ad Nemes. Carol. ad art. 157., Treutl. vol. 2. diss. 30. th. 4. in f., Ludwell. comment. ad Instit. tit. de obligat. quæ ex delict. nasc. §. 3. furtum.

(3) Ra-



- 7 (3) Ratione personarum, quæ furtum committunt, aliud est domesticum, i. e. à personis domesticis perpetratum, quod jure Civili Famoso opponitur, *l. capitalium. 28. §. famosus. ff. de pœnis.* Ubi tamen distinguendum est, num personæ nobis sint conjunctæ, ut uxor, maritus, pater, mater, filius, quæ invicem furtum quidem committere dicuntur, & res in furtivam causam cadit, sed furti actio non nascitur, *§. hi qui in Parentum. 12. Inst. de oblig. ex del., t. t. ff. rer. amot.* tum ob rerum communionem, tum ob vinculi conjugalis & necessitudinis unionem, quamvis à Magistratu extra ordinem mitius puniantur; Secus est in reliqua familia, servis, ancillis, aliisque qui ministram locant operam, quorum furta si levia sint de jure Civili leviter vel planè non puniuntur, *l. ii. respiciendum. §. 1. ff. de pœnis. l. 52. ff. de furtis.* si graviora & crebriora, arbitrariè non tamen ordinaria pœnâ, quamvis nonnulli Criminalistæ, in contraria sint sententia, gravius in hos fures esse animadvertendum, quod iis personis major fides habeatur, *Boss. præct. crim. cap. de furtis. n. 25. & 28., Tiraquell. de pœn. cap. 58., Wesenb. parat. tit. de furtis. n. 8.* De jure Saxonico & hæc differentia ratione domestici furti à famulis vel ancillis commissi est sublata, & æque domestici ut extranei laqueo puniuntur, *part. 4. const. 38.* Die Hausgenossen und das Hausgesinde / Knechte / Mägde / Diener / Tagelöhner und dergleichen / sollen wie andere Diebe / wann von ihnen eine Teube begangen / gestrafft / und zwischen ihnen und andern Dieben kein unterschied gehalten werden. *Carpz. Jurispr. forens. part. 4. const. 38. def. 1.* Capitale tamen non est furtum domesticorum in iis, quæ fidei eorum credita fuere, commissum *Wesenbec. parat. tit. de furtis. n. 8. in fin.,* Quod idem est, si eis salarium sit denegatum, & eum in finem quid subtraxerint, si nempe malitiosè recusatum, non ex justa causa, *Carpz.*



*Carpz. d. loco. part. 4. const. 38. def. 2. (4)* Respectu rerum quæ furto auferuntur, variæ dantur furtorum species, quæ omnes, licet peculiare nomen sortiantur, sub genere tamen furti comprehenduntur & prout res sunt quæ auferuntur, vel mitiori vel graviore afficiuntur poena, ut sectione sequenti dicetur: Qualitas enim rei surreptæ, sæpe liberat reum à suspendii poena, vel ex speciali juris dispositione, vel quod delicti corpus incertum reddat, quandoq; etiam animum furandi ipsumque furtum immutet, verba sunt *Carpz. nostri pract. crim. part. 2. quest. 83. n. 1.* Exempli horum furtorum quæ speciale nomen habent sunt (1) *Tigni juncti*, quando quis Tigna aliena seu materiam ædibus extruendis necessariam & aptam, invito domino suis ædibus jungit; Quo casu *lege 12. tabb.* quidem prohibitum est illa tigna vindicare, ne ædificia diruantur, deformeturq; aspectus publicus civitatum, *l. 2. § 3. C. de edific. privat.*, ne tamen quis fraudulenter aliena contrectans, impunitus evadat, in duplum contra eum datur actio, *t. t. ff. de tigno juncto*, vid. plura de hoc furto apud *Wesensbec. in parat. Struvium, Habnium, in comment. ad tit. de tigno juncto.* (2) Referimus huc furtum *arborum furtim cesarum*,<sup>13</sup> arborum autem nomine, veniunt etiam vites, hederæ, stirpes, arundines, salicta, *Wesensb. parat. ff. arbor. furt. ces.*; Ex furto hoc jure Civ. variæ proditæ sunt actiones, L. Aquilia, ex Edicto Prætoris in duplum, ex interdicto quod vi & clam, &c., quarum tamen una alteram absomit, *t. t. ff. arborum furtim ces.*; Nemesis Carolina nulla certa poena præfixa est, sed pro cujusq; loci consuetudine puniendum præcipitur *art. 168. Ord. crim.*, Jure Saxonico veteri ambigua est poena, *Constitutionibus autem Divi Augusti* clavis & perspicuis verbis de hoc furto disponitur, *part. 4. const. 37. tit.* *Strass* derer so fruchtbare oder gesezte Bäume abhauen  
D oder



oder verderben / desgleichen Bürggärten / Kräheren und anders aus den Gärten oder sonst dieblich entwenden / in qua distinctè illi, qui arbores cedunt, eungunt, deglabrant & inutiles reddunt, pretii æstimatione, & pro unaquaque triginta solidorum (zween alte Schock) solutione multantur: Quod si damnum ingens datum sit, fures relegatione vel fustigatione, qui autem lucri faciendi gratia casas auferunt & furantur, laqueo puniuntur: Herbas autem odoriferas ex hortis aliorum furantes arbitrariè vel multa, vel carcere, vel numella coercentur, vide de hoc furto arborum furtim casarum, herbarum plantarum, cibariorum esculentorum plura apud *Bened. Carpz. par. 4. const. 37.*

14 *def. 1. & seqq. & pract. crim. part. 2. quest. 83. num. 2. & seqq. (3)* Speciale furtum est crimen *expilatae hereditatis, t. t. ff. expilat. hered., t. t. C. de crim. expilat. hered.* quando res ante aditam hereditatem vel ab hærede possessam surripitur; ex hoc crimine, furti quidem agi non potest *l. 70. de furt., Wesenb. in parat. ad h. t.* quia nullius est possessio, quæ pæna autem in hoc delicto locum habeat, valde inter se *Dd.* collidunt, Sunt enim qui ordinariam in expilatorem pœnam statuunt, & statutum criminale ad hoc etiam delictum extendunt cum *Bald. in l. de his. C. de furt., l. 1. ff. de effract., ubi atrociores fures dicuntur,* & capitalem pœnam probare etiam nituntur ex *Ordin. Carol. art. 165.* Alii vero arbitrariam & extraordinariam dicunt infligendam pœnam esse, carcerem, relegationem, fustigationem *l. 1. & 3. ff. expil. hered., l. si cui. C. de crim. expil. hered.;* Sed merito distinguimus cum *Carpz. pract. crimin. part. 2. quest. 83. n. 83.* inter personas extraneas, quæ etiam fustigatione, & Consanguineos, qui ultra relegationem non puniuntur. (4) Furtum speciali nomine insignitum quoque est **TERMINI MOTI**, quando quis dolo malo terminos vel lapides finales, vel alia signa



## DE FURTO.

27

gna constituendorum finium gratia posita die Grenk<sup>h</sup> steine  
 und Grenk<sup>h</sup> zeichen eruit, aufert, vel ut solum noceat alteri,  
 vel ut vicino fundo quid detrahat & suo adjiciat; Et hoc  
 crimen quamvis revera furtum sit, mitius tamen puni-  
 tur, vel pœna pecuniaria 50. aureorum *l. fin. ff. term. mot.* vel  
 relegatione & fustigatione, in eo qui terminorum & ju-  
 rium occupandorum gratia fines movet, *l. 2. ff. eod.* ad ca-  
 pitis enim pœnam in hoc crimine non perveniri testis  
 est *Carpz pract. Crim. par. 2. quest. 83. n. 70. (5)* Furti speciale no- 16  
 men habentibus merito accensetur ABIGEATUS seu fur-  
 tum animalium vel jumentorum, eorumq; ex pascuis ab-  
 actio: Ad quod tamen crimen requiritur ut grex, vel gre-  
 gis aliqua portio, v.g. oves ad minimum 10. porci 5. vel 4.  
 abducantur, ex pecoribus enim minoribus si quis unum  
 saltem abigat furtum est; aliud vero est si unum ex majo-  
 ribus bobus vel equis surripiatur, vel si artem quis exer-  
 ceat in abigendis minoribus animalibus, *l. ult. ff. de Abig.*  
 Pœna hujus criminis jure Civili Roman. arbitraria est,  
 pro circumstantiis personarum vilium vel honestarum,  
 vel ipsius delicti, & modo damnatio in metallum, modo  
 relegatio, modo condemnatio ad bestias. *l. 1. & 2. ff. de Abig.*  
 si nempe cum gladio & ferro commissum, Consuetudine  
 tamen & statutis ob frequentiam, capitis etiam pœna a-  
 bigeis irrogari potest, teste *Jodoc. Damboud. prax. crim. c. 113.*  
*per tot. & in foro Saxon.* Reos abigeatus, non minus ac re-  
 liquos fures suspendendos esse, si nempe aestimatio pe-  
 coris abacti valorem quinq; solidorum attingat multis  
 rationibus evincit *Bened. Carpz pract. crim. part. 2. quest. 86.*  
*n. 39. & seq (6)* Hominum quoq; furtum speciale in LL. Ro- 17  
 manis accepit nomen quod dicitur PLAGIUM, & verum  
 hoc esse furtum LL. Romanæ docent, ideo quod Parentes  
 præsertim liberos & Domini servos in potestate sua ha-  
 beant,



beant, in quibus instar bonorum, quamvis non verum, aliquod tamen dominium & possessionem habere creduntur *l. 1. § 2. ff. de rei vind.*, Et arbitraria hujus delicti est poena jure Civili, modo pecuniaria, modo damnatio in metallum, *vid. Wesenb. parat. ff. t. t. de lege Fab. de Plagiar.* Quod si tamen Liberi Parentibus eripiantur lucri & pretii redemptionis gratia, poena gladii est constituta *l. fin. C. ad L. Fab. de Plag.* quam in foro quoq; Saxon. obtinere testis est *Petr. Heig. p. 2. q. 32. n. 2. § 3.*, quod exemplo Plagiarii illius qui anno 1455. Duces Juniores Sax. Ernestum & Albertum abduxerat, & ob id gladii poena punitus demonstrat, <sup>18</sup> *Carpz pract. crim. p. 2. q. 83. n. 90. (7)* Speciale quoque furtum est, SEPULCHRI VIOLATIO, seu potius si quis sepulchra non solum violat, sed & marmora & alia monumenta auferat, sepulcrorum cadavera effodit, vel etiam punitorum spoliat. Wann einer die Gräber und Todten bestiehlt: De Jure Civili refertur hoc Crimen ad Extraordinaria, quibus Prætor Edictum proposuit, *quod vid. l. 3. ff. de sepulch. viol.*, & poena ejus fuit arbitraria, infamia, poena pecuniaria; Quod si vero cadavera mortuorum spoliata vel ossa extracta, severius quoq; illud crimen est puniendum, & capitis interdum poena, præsertim si monumenta violentur, & sacrilegium committatur, *l. 3 l. 7. ff. cum l. fin. de sepulch. viol., l. 4. C. eod.*, Ad quod Crimen & huc trahi potest illud, quando homines, furcis affixos denudant vel prorsus tollunt, imo qui lucri faciendi gratia tempore pestis vel mortis instantis, semimortuos non necant solum, sed & spoliant, *Wesenb. in parat. ad tit. ff. de sepul. violato.* Jure Saxon. certa poena est determinata, *part. 4. constit. 34. Tit.* Von Straff derer welche die Todten auffgraben / oder sie an den Galgen bestehlen / oder von den Gerichten nehmen / ad quam *Constit. vid. comment. Bened. Carpz. d. p. 4. c. 34. def. 1. § seqq., nec non*



non pract. crimin. p. 4. q. 83. n. 53. & seqq. (8) Jure Civili Roma-  
 no porro furtis speciale nomen habentibus adnumerari  
 potest FURTUM BALNEARIUM. t. t. ff. de furib. balnear. , Sever-  
 rius nempe, uti furtum nocturnum diurno atrocius, pu-  
 niebatur, quod tenebræ ad furtum faciendum idoneæ,  
 atrocius reddant delictum, ita furtum balnearium & fu-  
 res balnearii imprimis incurrebant graviolem pœnam,  
 propter communem usum balnearum, & quoniam nu-  
 dis ibi, atque aliud agentibus hominibus, facilius quid  
 furripi possit; Nam in universum quo occultius com-  
 mitti flagitia possunt, eo deprehensa, acerbius, majoreq;  
 jurisdictionis severitate sunt coërcenda. Wesenb. parat. ff.  
 tit. de fur. balnear. Verumenimvero hodiè hujus furti  
 balnearii, cum communi & domestico furto, nullam  
 censemus ratione pœnæ esse differentiam, cui tamen  
 placuerit videre de Balneariis, Sacculariis, Directariis  
 furibus plura poterit apud Ant. Matth. ad Lib. π. 47. tit. 11. (9) 20  
 Ratione rerum porro quæ furto auferuntur speciale no-  
 men sortitur PECULATUS, furtum nimirum pecuniæ, quæ  
 Principis est aut Reipubl. l. unic. C. de crim. pecul. t. t. ff. ad L.  
 Jul. Pecul.; Et hoc crimen committunt omnes illi qui pe-  
 cuniam vel sacram vel religiosam, vel publicam Princi-  
 pis vel Reip. in rem suam vertunt, intercipiunt, vel faci-  
 unt, ne quis auferat, de quo plura vid. ap. Wesenb. in parat. ad  
 L. Jul. pecul.: Quod capite quidem puniebatur l. un. C. de  
 pecul., hodiè tamen non saltem ob Novell. Leonis 105. sed &  
 desuetudinem, ab illo rigore recessum videtur; Dum  
 furtum absq; vera contrectatione de loco in locum a-  
 motione perpetratum, capitaliter & suspendio non pu-  
 nitur, uti prolixè de furto & pecunia ac rebus suæ admi-  
 nistrationi ac fidei concreditis commissio ostendit Bened.  
 Carpz. pract. crim. p. 2. q. 85. per tot. Quitamen rigor, quod



in nostra Republica cesset, deplorandum est, ob utilitatem publicam quæ tanta est, ut nisi Peculatores severissimis poenis coerceantur, nunquam defutura sunt hîrudines, quæ corpus Reip. sanguine & nervis destitutum, relicturæ sunt, *Ant. Matth. ad ff. lib. 48. tit. 10. de pecul. cap. 2. n. 2.*

21 (10) Res deniq; sacræ quæ furto auferuntur, furto nomen dant SACRILEGII quod furtum est rei sacræ vel religiosæ, è loco sacro vel religioso *Tiber. Dec. tract. crimin. lib. 6. cap. 31. n. 1.* Circa quod (1) quæritur; Num res privatas ex a de sacra auferens, Sacrilegus sit, & negant quam plurimi cum *Ant. Matthæo tract. de crimin. ad lib. ff. 48. tit. 10. cap. 3. de sacrileg. n. 1. & 2. obl. 5 ff. ad L. Jul. pecul.* quod disputandi ratione potentior sit lex Cæsaris ejusq; rescriptum. (2) Num rem sacram è loco privato auferens sacrilegium committat? Et distinguunt, num fur sciverit, esse rem sacram vel non, & illo casu Sacrilegium est, hoc, furtum. *l. 5. l. 9. §. 1. ff. ad L. Jul. pecul.* De Jure Canonico Sacrilegium committit, qui sacrum de non sacro, & non sacrum de sacro aufert, *c. si quis contumax. 17. quest. 4.* Verum enim verò quicquid etiam subtiliter vel ex jure civili vel prudentium rationibus disputetur; In Imperio nostro Romano Germanico, res expedita & clara videtur ex *Ord. Crim. Carolina art. 171.* ubi tres species sacrilegiorum recensentur, his verbis: Stehlen von geweihten Dingen oder Stätten / ist schw. rer denn andere Diebstahl / und geschicht in dreyerley weise: Zum ersten / wann er etwas heiliges oder geweihtes stichlet an geweihten Stätten; Zum andern / wann einer etwas geweihtes an ungeweihten Stätten stichlet; Zum dritten / wann einer ungeweihtes ding an geweihter Stätte stichlet. Ex quibus luce meridianâ clarius apparet: Tria esse Sacrilegiorum genera (1) Res sacræ de loco sacro, (2) si quis rem sacram auferat ex loco privato, (3) Si quis rem profanam auferat ex loco



## DE FURTO.

31

loco sacro. Quo ipso jus Canonicum Civili præferri, nullum quidem est dubium; quamvis non peccare videantur illi etiam qui cum *Jodoc. Damhoud. pract. crim. cap. m. de sacrileg.* Primum illud proprium, rei sacrae de loco sacro, Alterum Improprrium, Rei sacrae de loco non sacro, Impropriissimum autem vocant, rei non sacrae de loco sacro ablationem: Et ita prout in eodem delicti genere plus vel minus peccatur, poenae sunt distribuendae.

Primum enim, quod furtorum execratissimum vocatur à laudato *Damhoudero d. l. rei sacrae de loco sacro ablatio*, quod etiam Jure Civili tale est, gravius puniendum reliquis duobus, Jure nempe Civili Romano hoc Sacrilegium pro qualitate personae & rei conditione &c., vel damnatione ad bestias vel vivi combustionem, vel suspendio furcarum puniebatur, *l. 6. sacrilegii poenam ff. ad L. Jul. pecul. § de sacril.*, reliqua autem duo sacrilegia, mitius *l. 4. ff. eod.*, *Damhoud. alleg. loco, § Ordinatione quidem Crimin. art. 174.* monstrantiam furatus, vivus comburi jubetur, in rerum autem minoris pretii sacrilegos furti est poena constituta, vel multa pecuniaria vel carceris, in verb. *solt aber einer sonst güldene oder silberne geweihte Gefäß etc. umb solche Diebstähle alle / sie sein geschehen an geweihten oder ungeweihten etc. Diese Diebe seynd zum Tode nach gelegenheit der Sachen / und Rath der Rechtsverständigen zu straffen.* De Jure Saxon. primum & verum sacrilegium si res sacra è loco sacro auferatur, rota, Secundum autem & Tertium Sacrilegium, quando res sacra de loco non sacro, vel res non sacra de loco sacro, auferitur, communi furti nempe suspendii poena punitur, quia illis duobus casibus reverà de jure civili ejusque rationibus non sacrilegium sed furtum committitur, *Bened. Carpz. pract. crimin. part. 2. § 89. (n)* Speciale quoque nomen Furti obtinet Furtum 22

INCEN-



INCENDIARIUM, peculiari loco & tempore commissum, quod nempe in incendiis committitur, maligno animo, destinataq; malitiâ, & caprata cum alterius damno occasione; Quod jure Civili intra annum quadrupli, post annum simpli restitutione punitur, *l. in eum. C. de furt.* Imo de consuetudine suspendii & laquei poena, *Jodoc. Damboud. pract. crimin. cap. 114.* quod factum æque grave est commissum tempore naufragii, *d. l. in eum. C. de furt., vid. t. t. ff. de Incend. Ruina naufrag. rate. nave expugnata, & ad eundem Clarissim. Wesenb. in parat.* (12) Ratione rei quæ furto subjacet, jure Saxon. speciali dispositione furtum punitur ARATRI, *part. 4. const. 35. Tit. Straff des so den Pflug beraubet /* quâ aratrum clam spoliens poena pecuniaria vel carcere vel relegatione, vel si delictum sæpius iteratum sit, fustigatione, equos vero cum aratro auferens, rota puniri jubetur ad quam constitut. *vid. Ben. Carpz. def. 1. & seqq.* (13) Furtum *Apium* quidem jure Saxon. veteri severe punitum fuit, moderno autem communis furti poenâ plectitur, *per Constit. Elect. 36. pag. 4.,* raro nempe hoc furtum ut & columbarum, capitale est, *Carpz p. 4. c. 36. def. 5.*

25 Ut vero tandem ad scopum collimemus & progrediamur; Omnium primam & nostro foro accommodatissimam illam furtorum cum Carpz. declaramus divisionem, quâ missis aliis furtum vel simplex, vel qualificatum & compositum pronuntiatur: Simplex nempe illud propriè dicitur (1) quod sine effractione contingit, e contra non simplex seu compositum, quod cum effractione, quæ divisio radicata quoque est in *Nemesi Carolina art. 159. & 160. & Const. Elect. D. August. p. 4. const. 32. in verb.* Und soll in diesem fall kein Unterschied gehalten werden / ob der Diebstahl mit einbrechen oder ohne dasselbe geschehen / jedoch soll gleichwohl den Schöppenstühlen und Gerichten unserer Lande hiez mit



## DE FURTO.

33

mit unbenommen seyn/aus Umständen die in Rechten gegrün-  
det/und eines theils in der peinlichen des Reichs Halsg. D. er-  
zehlet/solche Straffe disfalls zu lindern und zu mildern. Quæ  
autem sit furti simplicis absque effractione & quæ cum  
effractione commissi pœna, sequenti pluribus dicetur  
sectione.

Alia quoque ratione cum *Damboud.prax.crim.cap.110. 26*  
Furtum dicimus simplex: cui nullum aliud crimen ag-  
gravans magis accedit, non simplex autem vel compo-  
situm, quod cum alio crimine combinatum, vel gravi qua-  
dam circumstantia aggravatum, quale est sacrilegium de  
quo modo est dictum, Tale furtum compositum est fur-  
tum violentum cui vel vis privata & effractio serarum, re-  
pagulorum obicum, accedit, vel vis publica uti est Rapi-  
na secunda species privatorum delictorum de qua se-  
quenti dicetur capite, Magis tamen propriè Composi-  
tum furtum est, quod cum insigni quodam alio Crimine  
concurrit, v. c. cum homicidio ut latrocinium, de quo &  
aliis compositis delictis regula est Criminalistarum;  
Quod quotiescunque crimen cum crimine concurrat,  
illud eâ pœnâ, quæ insigniori infligi solet, sit afficien-  
dum, & ita latrocinium & alia furta, quæ cum majoribus  
sociantur, suo loco reservamus, & misis aliis furtorum  
Divisionibus, ad pœnas & Actiones furti proditas nos ac-  
cingimus.

## SECTIO III.

DE ACTIONIBUS OB FURTUM COM-  
PETENTIBUS ET POENIS, JURE DIVINO, CIVI-  
LI, COMMUNI, IMPERII, ET SAXONICO  
IN FURES STATUTIS.

## SUMMARIA.

1. Connexio.

2. 3. Actio furti.

E

4. 5. Ci-



4.5. *Civilis.*6. *Criminalis.*7. *Rei persecutoria.*8. *Omni jure furtum prohibi-  
tum.*9. *Pœna certa non naturali sed  
positivo jure statuta.*10. *Pœna Juris divini.*11. *Juris Canonici.*12. *Civilis Romani.*13.14. *Juris Communis Germaniæ  
ex Constit. Carolinæ.*15. *Saxonici novi.*16. *Num pœna suspendii justa  
nec divino juri contraria.*17. *Rationes Dubitandi.*18.19. *Rationes Decidendi.*20. *Pœna moderna furtorum.*

1 **E**Nucleatâ sic breviter & excussa Furti definitione & di-  
visione, duo adhuc super sunt nobis circa crimen Fur-  
ti tractanda, & quidem paucis pro instituti ratione, A-  
CTIO & POENA.

2 **E**ctio quidem filia quæ dicitur obligationis,  
tunc statim nasci intelligitur matre obligatione, quam  
primum delictum est commissum, quâ contra delin-  
quentem coram Judice experimur, ut solutione pœnæ  
vel civilis vel criminalis nobis satisfiat, & debito modo  
justitia administretur, nemo injustè lædatur, sed suum  
3 cuique tribuatur: Quemadmodum nempe actioni ex  
contractu ejusque obligationi tunc locus est, ad præ-  
standum id, quod in contractum deductum, quando ad  
perfectionem suam contractus pervenit, ita ex delicto  
agitur, statim ab eo perpetrato & commissio, diverso ta-  
men agendi modo, cum ex contractu saltem civiliter, ex  
delicto autem vel civiliter vel criminaliter agi possit, ut  
modo audiemus.

4 **E**x furto itaque in specie de jure Civili Romano a-  
ctiones vel pœnales oriuntur, vel rei persecutoriæ, &  
5 pœnalia alia dicitur civilis, alia criminalis. Civilis a-  
ctio furti domino datur ejusque hæredibus, vel iis quo-  
rum



rum interest, adversus fures etiam ope & consilio tales, in quadruplum si manifestum, in duplum si nec manifestum. §. 5. *Inst. de oblig. quæ ex del. nasc.* l. 50. ff. *de furt.* l. 11. §. 19. *C. eod.*, *Gœd. de V. S. n.* 16. §. 17., *Joach. Schnobel. Cognatus & Preceptor quondam in Rostoch. Acad. meus honoratissimus disp. Pand.* 24. th. 3. §. 4.

Criminalis actio est, quæ contra furem ex jure civili 6 Roman. ad pœnam luendam agimus arbitrariam, Hodierno vero jure ex *Const. Carol.* & *Const. Elect.* certo casu ad pœnam capitis & suspendii, *Wesenb. parat. ff. de furt. num.* 15. Deniq; ex furto quoque actiones dantur Rei persecutoria, ut est rei Vindicatio, §. ult. *Inst. de obl. quæ ex del.* Quæ datur adversus quemcunque rei furtivæ possessorem, d. §. ult., 2. Condictio furtiva, quæ tamen fur & ipsius hæredes tenentur, *vid. t. t. ff. de condictione furt.* Ultraque autem saltem Domino rei datur l. §. ult. *Instit. de obligat. quæ ex delict.*, *Schnobel. d. disp. 24. th. 5.* & in condictione furtivâ illud speciale quoque est, quod eâ nunquam teneatur, qui consilium dedit, sive furtum sit secutum sive non, l. sepe §. l. 6. ff. *de condict. furt.*, *Sutbolt. dissert. 16. th. 33.*, *vid. plura in Zæf. ad ff. tit. de furt. n. 15.*, *Schneidewin. & Ludwell. in §. fin. Inst. de Obl. quæ ex del.*: Et tantum de ACTIONE.

Pœnam quod jam attinet Furtorum, præmittendum est Furtum omni jure censi prohibutum Naturali, 8 Gentium, Civili, Divino & Canonico, ut multis deducit *Jodoc. Damboud. pract. crimin. cap. 110. n. 1. 2. & seqq.* Prout itaque jura sunt diversa, quoque huic crimini furti sunt statuta pœnæ; Et jure quidem Naturali & Gentium pro- 9 hibetur furtum, quod dicatur ex eo esse contra rationem & legem naturalem, §. 1. *Inst. de Obl. quæ ex del. nasc.* l. 1. §. fin. ff. *de furt.* in verbis: quod lege naturali prohibitum est, unde refertur interea probra, quæ naturâ sunt turpia *Ulpian. l. probrum*



*brum. 24. ff. de V. S.*, admittere, & nulla quamvis gens sit tam barbara quæ non pœna afficiat hoc crimen, tamen certa neque ex jure Naturali neque Gentium, sed ex positivo vel divino, vel humano & civili est pœna sumenda;

- 10 Jure Divino, furto non capitalis, sed pecuniaria pœna statuta est à Deo, mediantibus LL. Mosaicis *Exod. 22. v. 1. & v. 3.*, nempe restitutio dupli quadrupli & quintupli, & si non habeat fur quod restituat fiat ejus venditio & in servitutem redactio, verba autem hæc sunt sacrarum literarum: Wann jemand einen Ochsen oder Schaaß stiehlt/ und schlachtet oder verkauffet / der soll fünf Ochsen vor einen Ochsen wieder geben / v. 3. es soll aber ein Dieb wiederstatten/ hat ers nicht so verkauffe man ihn umb seinen Diebstahl / & v. 4. findet man aber bey ihm den Diebstahl lebendig / es sey Ochse/
- 11 Esel oder Schaaß / so soll ers zwiefältig wieder geben. Jus Canonicum non videtur multum recedere à Jure Divino, furtum tamen hominum seu plagium morte puniendum docet *c. 1. X. de furt.* Jus Civile Romanum quod attinet, de eo pœna videtur esse arbitraria *l. fin. ff. de furt.* pro circumstantiis personarum & qualitate delicti ipsius, Decem virali lege fur nocturnus & qui interdum se telo defendit occidi poterat, quod & Juri Divino videtur consentaneum, *Exod. 22. v. 2.* Wann ein Dieb ergriffen wird / daß er einbricht / und wird darob geschlagen daß er stirbt / so soll man kein Blut / Gerichte über ihn lassen gehen; Ist aber die Sonne über ihn aufgangen / so soll man das Blut / Gerichte gehen lassen; Ex quibus apparet furem nocturnum cum effractione, impunè occidi potuisse, idem dispositum est *leg. 12. tabb.* quâ fur nocturnus, sed cum clamore occidi jubetur. Postmodum autem à lege Decem virali discesserunt, & super manifesto furto, si quis ordine experiri vellet à Præ-
- tore



fore in quadruplum dabatur actio, *pr. Inst. de tempor. & perpet. action.* subinde etiam extra ordinem accusari fures coeperunt apud Praefectum Urbi, vel qui criminali praerant Jurisdictioni, & sic vel civiliter iustituebatur actio & in manifesto quadrupli, in nec manifesto dupli locum habebat restitutio, vel criminaliter & extra ordinem fur puniebatur, non tamen capitaliter, quia Justinianus mutilationem saltem membri furibus irrogari vetuit, *Nov. 134. c. ult.* Et quamvis jure Civili furci poena, etiam ad poenam capitis, exasperari potuisse nonnulli putent, *arg. l. 9. ff. de X. ordin. crim.*, tamen dict. *Novell.* postmodum fuit impedimento; Donec *Const. Friderici Imper. de pace tenend. & ejus violat. 27. §. ult. lib. 2. Feud.* tandem poena furti capitalis facta in qua haec extant verba: *Si quis quinq. solidos (i.e. Ducatos vel 10. Thaler) aut plus fuerit furatus, laqueo suspendatur, sin minus scopis & forcipe excorietur & tundatur*; Quam quidem nonnulli interpretes de eo furto intelligunt, quod cum violatione pacis est conjunctum, *Damboud. Clarus, Boss. & alii Criminalistae.*

Si jam ad Jura Imperii nostri Romano Germanici 13  
vel communia vel statutoria & Provincialia nos conver-  
timus. deprehendimus poenam suspendii per jam ante  
allegatam Friderici Constitut. statutam etiam Jure Sa-  
xon. fuisse fundatam & in usum deductam *lib. 2. Landr. art.*  
*13. in pr. in verb. den Dieb soll man hengen* / quod postmo-  
dum proverbio locum dedit: Et hac poena suspendii  
quemadmodum apud multos populos ob frequentiam  
delicti praesertim Europaeos frequentata, ita Constit. Fri-  
derici supra allegata confirmata, nec non recentiori Ne-  
mese Carolina art. 159. in verb. *Und soll darumb nemlich der* 14  
*Mann mit dem Strange/und die Frau mit Wasser oder sonst*  
*nach jedes Landes Gebrauch/ vom Leben zum Tode gestrafft*



15 werden. Accedit his omnibus in Elector. Saxon. *Divi Augusti. const. p. 4. c. 32. Tit.* Von Diebstahl und desselben Straffe/ In qua pro qualitate delicti, vel pœnâ suspendii furtum punitur si 5. solidos vel Ducatos attingat, wann einer über 5. der besten Ungarischen Gûlden stiehlt / derselbe wird mit dem Strange gestrafft / vel relegatione perpetua & fustigatione, si vel primum vel secundum delictum illam summam non exaquent, da der erste oder andere Diebstahl unter fünf Ungarische Gûlden / und über den halben Werth / vel denique pro qualitate causæ mitius, relegatione, carcere, numel-  
 16 lis, &c. Antequam vero porro de pœnis furtorum pergamus, de famosissimâ, quæ inter Theologos & JCtos passim ventilata est, quæstione & nobis aliquid dicendum; Num nempe ob simplex furtum JCtus bona conscientia furi laquei pœnam dictare possit? Inter eos qui Negativam tuentur imprimis sunt Theologi reformatorum, & nostrorum nonnulli, nec non JCti, *Nemiz. Paris de Put & noviss. Ant. Matth. tract. crim. cap. 2. de furt. num. 6. & seqq.* & cum eo famosissimus ille Hugo Grotius lib. 2. d. jure bell. & pacis cap. 1. n. 14. quando putat fas non esse quenquam ad mortem damnari, nisi ob delicta, quæ lex per Mosen data morte punivit, aut quæ his sunt recta æstimatione paria. Nec posse notitiam divinæ voluntatis, quæ sola animum tranquillat abunde in hoc negotio tam gravi haberi, quam ex illa lege, quæ certè mortis pœnam in furem non constituit. &c. quibus omnibus pœna laquei quæ furto simplici irrogatur, impendio acerbior esse videtur, nec convenire justitiæ distributiæ, quæ jubet pœnas delictis æquas imponi, nec patitur scutica dignum flagello horribili cædi, verba sunt adversariorum. Et argumenta eorum imprimis sequent. sunt.  
 17 (1) quod contrarietur juri divino ante allegato *Exod. 22.* quod



quod sanctum sit, atque immutabile, cui nec aliquid addi  
 nec detrahi debeat, (2) eo ipso quod Deus furtum no-  
 cturnum, & sacrilegium, imo plagium capitale dicat, ex-  
 cipiat furtum simplex, (3) obstat proportio inæqualis,  
 nulla nempe sit proportio inter vitam & bona tempora-  
 lia, (4) qui damnum injuria dat quod excedit 5. solidos,  
 non tamen punitur capite, (5) quod stuprum non violentum  
 non sit capitale &c. Verum enim verò quid valeant 18  
 hæc argumenta in discursu pluribus Deo dante demon-  
 strabimus. Et cum hac de quæstione absolutissime scri-  
 pserint acutissimi non minus & prudentissimi, quam  
 conscientiosi Juri, qui nec peponem pro capite, nec  
 fungum pro corde, nec conscientiam susque deque ha-  
 bent, brevitatis gratiâ decisione illarum objectionum  
 supersedeo, & illorum partibus intrepidè, nullâ consci-  
 entia maculâ accedo, qui & hodiè JCrum bonâ consci-  
 entia furi in Scabinatu & Collegiis Juridicis pœnam la-  
 quei, prout ea in lege Carolina & Constitutione Electorali  
 exprimitur, dictare posse, conscientiaq; maculam illos  
 potius contrahere, qui ratione curiosa & supervacua legem  
 evertere & ab eo recedere in pronunciando tentant, sta-  
 tuunt, motus cum *Carpz. pract. crimin. p. 2. q. 77. per tot. & We-*  
*senb. in parat. de furt. 12. 15. & ult., Bernhard. Sutholt. dissert. 16. th.*  
*37. & c. seqq. rationibus non contemnendis.* (1) Jus divinū Exod. 19  
 22. de furibus statutum negamus negligi, qui nimo Magi-  
 strati licet pœnas jure divino statutas circumstantiis ita  
 flagitantibus exaggerare; Regula enim de pœnis in jure  
 divino dictatis, hæc est: Quod eas non negligere, ex  
 certa tamen causa Judex exasperare possit, uti exemplum  
 est in parricidis. Si enim nulla in fures statuta esset pœ-  
 na, leges magis divinæ dici potuissent negligi, quam  
 quod in terrorem aliorum, illam divino jure statutam  
 exa-



exasperarint Legis. Et quod maximū est, leges illæ foren-  
 ses Judæis præscriptæ non in totū ad Christianos sunt ex-  
 tendendæ, nec illos obligant, Semper enim à sanioribus  
 Theologis judicatum Deum tam LL. ceremoniales quam  
 forenses eo fine atq; consilio tulisse, ut ad Christi saltem  
 adventum durarent. *Zepp. in tract. d. LL. Mosai. Lib. 1. c. 2. &*  
*seqq.* ut patet ex multis aliis LL., observantia sabathi, &c  
 (2) Negamus quod Deus furtum omne simplex pro non  
 capitali declaraverit, cum furtum nocturnum non refe-  
 ratur quidem ad simplicia furta, & ideò pro impuni fa-  
 cto declaretur, si quis furē nocturnū occiderit, attamen  
 pro simplici furto etiā servitutē irrogaverit, quæ capitali  
 pœnæ æquiparatur. (3) Negatur quod in hac pœna crimi-  
 nis non sit proportio inter delictum & pœnam; Quia in  
 thesi quidem dura pœna hæc videtur, quæ tamen in hypo-  
 thesi talis non est. Quamvis ergo dura & gravis videat-  
 ur hæc pœna, quod cum ære vita æqual lance sit ponen-  
 da; Sanioribus tamen populis placuit & necessaria visa  
 hæc lex est, quod ob frequentiam furtorum & seculi ma-  
 litiam, crimen hoc in terrorem aliorum severius sit pu-  
 niendum; Et sanè in furto hoc contra Legem expressam  
 commissio, non saltem quantitas bonorum quæ aufer-  
 tur, quam qualitas delicti est attendenda, quatenus Le-  
 gislator spernitur & ludibrio habetur, Resp. autem quo-  
 tidie spoliatur & evacuatur: Ut ita communi jure Gen-  
 tium furtum etiam pro generalissimo & magno habeat-  
 ur delicto, non minus ac adulterium & homicidium so-  
 cietatem humanam lædens, *Wesemb. parat. ff. de furt. in fin.*  
*n. 15.* Et sanè miserum eum Magistratum omnino judi-  
 cari oporteret, si ei non concessum esset in salutem Reip.  
 pœnas vel jure divino vel humano statutas ob frequen-  
 tiam delictorum, exasperare, cum salus Reip. sit supre-  
 ma



## DE FURTO.

41

ma lex; Quibus omnibus accedunt & Saniorum Theologorum judicia. *Balthas. Meisner, in Philosoph. Sobria Sect. 2. quest. 3. Martin. Chemnit. in loc. comm. Theolog. cap. d. Magistrat. Civilib. Job. Gerhard. Disput. Theol. Tom. 2. fol. 260. Vide inter JCtos imprimis Matth. Stephan. ad Nemes. Carol. art. 157. & seqq.*; Ex quibus & multo aliis rationibus evidenter apparet, poenam Caroli V. in fures statutam, esse justissimam si in hypothesis disputetur, iisque in locis ubi vel Sanctio Carolina, vel alia lex huic similis, qualis est *Const. Elector. Divi. Aug. p. 4. c. 32. vigent*, JCtum secundum eas sententiam optimam conscientiam ferre posse, cum non de LL. sed secundum leges ipsi fas sit respondere, quamvis rigida, & aliis populis non facile videatur lex imitanda, *Sutbolt. dissert. 10. num. 40.*

Missa igitur hac quaestione, poenas furtorum sequenti ordine ex Constit. Carolin. & Augusti determinamus (1) Si res furto sint ablatae, quae quinque solidis aestimantur, fures laquei poenam plectendi, Constitut. Carol. & Const. Elect. p. 4. const. 32. (2) furtum quod illam quantitatem non attingit, mitius punitur, fustigatione, relegatione, carcere, multa: Quamvis Jure Saxon. distinguatur num dimidiam partem furtum excedat, & fustigatio locum habet, vel non, & Relegatio.

Quomodo autem effractio & alia, poenam hanc aggravent, suspendii autem poena ob lucrum cessans, vel ubi de furto non certe constat, vel ratione personarum, vel etiam ratione rerum quae auferuntur, vel multas alias circumstantias, capitalis haec poena furti mitigetur, haec de re vid. *Carpz. pract. Crimin. p. 2. q. 29. & seqq. aliis.*

Et tantum de FURTO prima delicti privati Specie.

F

CAPUT



CAPUT QUINTUM.

De

RAPINA.

SUMMARIA.

1. Rapina furtum violentum & qualificatum.
2. Definitio.
3. Ablatio est.
4. Rei mobilis, uti immobilium invasio.
5. Aliena non propria.
6. Violenta.
7. Alia simplex alia composita.
8. Tres Rapinae species Jodoci Damhouderi.
9. Rapina Latrocinium verè non est, nisi cade conjuncta.
10. Rapina alia est à Raptu.
11. Rapinae actio & poena.

**A**ltera delictorum Privatorum species Rapina est, de qua agitur *Inst. t. t. de vi bonor. rapt. & ff. t. t. de vi bonor. raptor. & de turba*. Est nempe Rapina furtum violentum vel qualificatum & sic furtum improbius, quemadmodum fures improbiore Raptore vocantur, vel improbissimi, *litem si cum except. 14. §. qui vim. 12. ff. quod met. caus. l. raptore.*

**2** *C. de Episc. & Cler. pr. Inst. de vi. bonor. rapt.*; Describi potest Ablatio rei mobilis violenta: Seu quod idem est, prolixioribus saltem verbis, Delictum est privatum quo quis dolo malo, rem alienam mobilem, lucri faciendi gratia, vi destinata aufert, aut damnum in ea dat, *Georg. Adam Struv. Syntag. jurispr. Exercit. 48. tb. 45.* Diximus esse ablationem, quia sola contrectatio & rei retentio, ut in furto simplici, non sufficit in hoc crimine, sed res violenter contrectentur & auferantur. (2) Rei est mobilis, quemadmodum enim furtum, ita nec Rapina propriè in rebus immobilibus & quæ fundi sunt, dicitur committi, sed illæ



## DE RAPINA.

illæ dicuntur per vim possideri, l. fin. C. ad L. Jul. de vi publ. & priv., §. 1. Inst. de vi bon. rapt., Schnobel. disput. pandect. 24. th. 6., & eo casu non actio bonorum raptorum, sed interdictum unde vi locum habet, l. 1. ff. de vi & vi armat., Petr. Theodor. Colleg. Crim. disput. 2. th. 20. (3) In descriptione addimus vocabulum *aliena*, quia rapiens rem propriam, errore ductus rem suam existimans, vel sibi debitam alteri quamvis mulier, rusticus aut miles fuerit, repetitor est non Raptor, Jodoc. Damboud. prax. crim. c. 101. n. 6.; Quamvis dominio cadat de Jure Civ., si quis per vim rem suam à possessore auferat, §. 1. Inst. h. t. l. 5. 6. 7. C. unde vi. (4) Deniq; vocatur *violenta*, quæ separat hanc speciem à furto tanquam genere, quod sit clanculum vel sine vi, quamvis manifestè; Nec refert, utrum illa vis sit publica vel privata, modo illa vis sit ablativa, nec refert utrum impetus sit major cui resisti nequit, vel non, Petr. Theodor. d. l.

Definitionem subsequitur divisio; Nec verò Rapina est unius generis: Alia enim (1) Simplex est, alia composita, sive cum delicto homicidii concurrens, quæ speciale nomen sortitur Latrocinii. Jodoc. Damboud. prax. Crimin. triplicem videtur constituere & statuere Rapinam, (1) Rapinam simplicem, quando quis publicè, v. c. in civitatibus vel foro, alterius bona vel mobilia vel moventia rapit, quæ talis etiam esse potest, sine vi, vel cum vi, vel cum armis vel sine armis, vel rei minimæ vel magni pretii, c. 101. de Rapina. (2) Rapinæ aliam speciem dicit Latrocinium simplex, non illud, quod cum homicidio conjungitur, sed quod nudam spoliandi vim continet, quando aliquis furtim & vi citra mortem, suis spoliatur bonis, in viis plerumq; occultis, locis desertis, & à testimonio hominum semotis, in sylvis & saltibus vel aliis suspectis locis & temporibus illicitis, de quo crimine agit cap. 102.



*de latrocinio simplici*, & qui hanc rapinam exercent, vel potius latrocinium simplex, nobis Germanis vocantur: Räuber/Freybeuter/Taschen-Klöppler/Pusch-Klöppler/Beutemacher. (3) Tertiam deniq; speciem facit Rapina, quæ dicitur verum Latrocinium, i.e. Rapina cum eade hominis, vel insigni ejus vulneratione conjuncta; Cujus rapinae Autores, nobis Germanis dicuntur: Mörder/Strassensräuber/ quales in Italia sunt Banditi. Quæ divisio Damhouderi aliquod fundamentum videtur habere in rei veritate, cum videamus & experientia doceamur, tot modis Rapinam exerceri; Verum enim verò quamvis nequiores illi sint raptores, qui in occultis viis vel sylvis spoliant homines; Hos tamen saltem verè latrones dici, qui homines aggrediuntur, & mortem ipsis inferunt, ac bona eis furripiunt, reliquos autem Raptores, simplici nomine indigitari; Nec latrocinium esse spolium vel rapinam absq; interfectione vel insigni vulneratione hominis, multis rationibus & LL. deducit *Bened. Carpz. pract. crim. p. 2. q. 90. n. 3. in questione, quomodo differant Rapina & Latrocinium n. 3.*

10 Secundo ratione rerum, vel personarum, quæ auferuntur, alia est rapina i.e. rerum mobilium, alia moventium, vel animalium brutorum vel hominum, cum quasi concurrat stuprum, Raptus dicitur, de quo suo nobis erit dicendum loco. Deniq; ratione qualitatum alia rapina fit armis, alia sine armis, alia cum vi publica, alia privata conjuncta, alia rerum magni pretii, alia parvi, secundum quas circumstantias poenæ formantur.

11 Ut itaq; coronidis loco circa Rapinam, de actione & poenis hujus criminis aliquid dicamus; Actio datur vi bonorum raptorum, illi cujus interest rem non esse raptam vel corruptam l. 40. §. 10. ff. b. t., *Perez. ad C. de bon. vi rapt.*



2.1. contra raptorem vel eum qui corrupit, causamq; dedit quo fieret, l. 2. §. 2. ff. de vi bon. rapt. Actio autem vi bonorum raptorum, vel *Civilis esto vel Criminalis*, illa experimur secundum jus Civile contra raptorem ob rem modicam, pileum, tunicam, gladium, thoracem, togam, librum, peram, marsupium, &c. siue deprehensus fuerit siue non, intra annum in quadruplum cui & simplum inest, pr. *Instit. b. t.*, si autem deprehensus, furti manifesti actioni quoque locus esse potest, quæ plenior est, *Bachov. in not. ad Wesenb. parat. ff. vi bon. n. 7 l. 52. §. ult. ff. de furt.* Criminalis actio datur contra eum raptorem, qui vel rem magni pretii abstulit, quem *Jodoc. Damhoud.* suspendio puniri jubet, *pract. crim. cap. 101. n. 7.*, vel concurrere etiam potest de jure Civili iudicium publicum Legis Juliae de vi. l. 3. l. penult. ad L. Jul. de vi publ., & pro circumstantiis, vel relegatio vel fustigatio vel carcer locum habet, *Petr. Theod. d. disp. 2. t. b. 10. lit. 1.*, imo certis casibus Raptores qui eum ferro aggredi & spoliare instituerunt, capite puniuntur, l. capitalium. §. Grassatores 10. ff. de poen.

Verum hodiernis moribus in Rapina exspirasse videtur ferè actio civilis & illa quæ in itinere fit publico, auf öffentlicher Landstrassen/per Ord. Crim. art. 126. capitalis est & gladii poena. Ein jeder böshafftiger überwundener Räuber/soll nach Vermöge unserer Vorfahren und unserer gemeinen Keyserlichen Rechten/mit dem Schwerdt oder NB. wie an jeden Ort in diesen fällen mit guter Gewonheit herkommen ist/doch am Leben gestraffet werden. Eadem gladii poena statuta est jure Saxon. art. 13. lib. 2. Landr./die einen Mann schlagen/oder fassen/oder berauben/etc. denen soll man allen die Häupter abschlagen. Idem est *constit. Elect. 25. §. ult.* Cui poenæ gladii ex moribus hodiernis & illud accedit, quod raptorum, qui gladio puniti sunt, corpora, rotæ imponantur, in ter-



rorem nempe aliorum; Quæ poena Roboriæ quomodo extendatur & mitigetur, hæc de re uberrimè & accuratissimè tractantem *Vid. Dominum Carpz. pract. Crimin. p. 2. q. 90. n. 91. nec non Tiber. Decian. in tract. crimin. cap. 9. q. 29. De Latronibus & Piratis, nec non Ægid. Boss. tit. de Rapin. & plurib. violentiis.*

## CAPUT QUINTUM.

De

## DAMNO INJURIA DATO.

*Ad Tit. ff. & Inst. de Leg. Aquil.*

## SUMMARIA.

- |  |  |
|--|--|
| 1. <i>Damnum injuriâ datum differt à fatali.</i>             | 4. <i>A damno infecto.</i>               |
| 2. <i>Ab eo quod ab invitis &amp; nescientibus infertur.</i> | 5. <i>Damni injuria dati descriptio.</i> |
| 3. <i>Quod jure permittente fit.</i>                         | 6. <i>Pœna L. Aquilia.</i>               |
|  | 7. <i>Actio.</i>                         |

**T**ertia Delicti privati species est Damnum injuriâ, i. e. non jure datum, de quo peculiaris lex extat in Jure Romano, *t. t. ff. ad L. Aquil.* Est tamen statim hic illud damnum separandum ab aliis damnis, quæ delicta non sunt, damna tamen jure & alibi vocantur; Qualia sunt

1. (1) *Damnum fatale*, quod neq; culpa neq; dolo hominis nobis contingit, sed fataliter vel casu fortuito, cui nec resisti nec provideri poterat, v. g. si alicui inundatione, calamitate & tempestate, incendio fulguris, terræ motu, vel divinitus quasi contingit, quod damnum in foro actionem

2. non parit, sed Christiana ferendum patientia; & de hoc damno loquitur *l. cum duob. 52. ff. pro socio.* (2) Damnum datur, quod delictum non est, quod infertur à nescientibus & invitis, infantibus, mente captis, furiosis, dormientibus, vel si quis ab alio impulsus, vel in turbâ vi majori coactus



## DE DAMNO INJURIA DATO.

47

coactus damnum dat, quod damnum itidem pro delicto non habetur, nec poenam incurrit, *Vultej. Inst. ad tit. de L. Aquil. pr. n. 7. 8. 9.* (3) Damnum est quod pro delicto non habetur, quod quidem datur a volentibus & scientibus; non tamen injuria, sed jure & LL. permittentibus: Quale est homicidium necessarium ad sui defensionem, cum moderamine inculpata tutelae commissum; Huic simile est homicidium & interfectio furis nocturni cum effractione, & qui se cum telo defendit, de quo cap. de Furt. est dictum, quod tam jure Divino quam Civili ejusmodi delictum sit impunè. Et deniq; ad hanc classem referimus illud damnum, quod Magistratus vel Judex infligit, sententiam suam justè exequendo, ob quod ille qui damnum sentit, magistratum, nisi injustitiæ argui possit, convenire nequit. (4) A damno hoc differt damnum infectum quod delictum non est, sed ne delictum fiat, interdicto præcavetur, t. ff. de damno infecto.

Damnum itaq; quod delictum vocari meruit privatum illud dicitur, quod injuria fit, i. e. non jure. Et describitur rei alienæ læsio, jure non concedente, per culpam licet levissimam facta, §. 2. & seq. l. 44. ff. ad L. Aquil., *Sutbolt. Dissert. 16. th. 46.* Vel est damnum injuriæ datum illud, quod homini ab homine injustè & vel culpa vel dolo infertur, & vel nobis ipsis, corpori nostro per vulnerationem, offensionem, vel nostræ familiæ, servis, ancillis, vel bonis, animalibus & rebus nostris. Coercetur hoc crimen (ad poenam ut statim progrediamur) Jure Civili Roman. per legem Aquil. seu plebiscitum ab Aquilio Tribuno plebis ita dictum, l. 1. §. 1. ff. ad L. Aquil. & tria habuit illud plebiscitum capita, quorum primò cavetur, ut qui servum, servam, alienum alienamve quadrupedem vel pecudem injuriæ occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum es dare domino damnas esto,



esto, l. 2. pr. ff. h. t. : Alterum caput in usu esse desit, jam tum Imperatoris Justiniani tempore l. 27. §. 4. ff. ad L. Aq. Tertio capite hæc erant verba : *Ceterarum rerum præter hominem & pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quod ufferit, fregerit, ruperit injuriâ, quantiea res erit in triginta diebus proximis, tantum es domino dare damnos esto* l. 27. §. 5. ff. ad L. Aquil.

7

Actio ex hac lege dabatur ex primo capite, quanti res eo anno fuerit plurimi, ex tertio, quanti in diebus 30. proximis; Et hæc vel directa fuit, contra eum qui corpore suo damnum dedit, vel utilis in eum qui indirectè damnum intulit. Si jura moderna aspiciamus, quod de occisione servorum dicitur, servitute sublata cessat, reliqua autem Judicis arbitrio plerumque committuntur in hoc delicto.

## CAPUT SEXTUM ET ULTIMUM.

De

## INJURIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

BELLIS.

## SUMMARIA.

1. Methodus.

2. Injurie definitio.

3. Alia Realis alia verbalis.

4. Aut in corpus infertur, aut ad dignitatem pertinet.

5. Immediate nobis infertur aut per alios.

6. Injuria in scriptis &amp; Famofus Libellus.

7. Pictura injuriosa.

8. Injuria atrox &amp; levis.

9. Actio injuriarum estimatoria ad Palinodiam &amp; criminalis.

10. Extrajudiciale remedium Retorsionis.

11. Pœna injuriarum ut plurimum arbitraria.

12. Modi quibus Actio injuriarum cessat.

I Quarta species Delictorum Privatorum, secundum seriem juris civilis Romani est *Injuria*, i. e. illud delictum quod non solum non jure fit, sed insuper in alterius directum



## DE INJURIIS ET FAMOSIS LIBELLIS. 49

Quum est contumeliam; Hujus delicti brevissimis perpendemus (1) Descriptionem (2) Divisionem (3) Actionem (4) Poenam.

Est vero Injuria: *Delictum privatum, quo alterius famam vel existimationem aut verbis ledimus, aut factis alterius corpori vel familia, cum insigni contumelia nocemus.* Alii aliter, vid. l. 3. §. 1. l. 13. §. 4. in f. l. 15. §. 24. 46. & seqq. ff. de injur. & famos. libel.

Divisio principalis injuriarum ex LL. Romanis deprompta hæc est, quod (1) aliæ sint *Reales*; aliæ *Verbales*, nempe secundum Labeonem l. 1. §. injuriam. ff. de injur. & famos. lib., Injuria fit re & verbis: Re, quoties manus inferuntur, Verbis autem quoties non manus inferuntur, sed convitium fit. (2) Ipsi etiam LL. Roman. d. l. §. 2. l. 1. ff. h. t. alia traditur divisio, quæ priori tamen non videtur valde dissimilis, dum omnis injuria aut in corpus inferri, cum quis pulsatur, aut ad dignitatē, cum comes matronę abducitur, aut ad infamiam pertinere dicitur, cum pudicitia attentatur; & (3) Ratione objecti Alia injuria nobis ipsis inferitur, vel corpori & famæ nostræ imediatē, vel per alios, i. e. mediatē, per illas personas, l. quæ nobis sunt quodā necessitudinis vinculo junctę, vel in nostra sunt familia, & illa dicitur per consequentias fieri, cum liberis, uxori, servis vel aliis personis, quæ ad nostram pertinent familiam, injuria fit. De quibus rectē dicitur, quod illorum injuria ad nos spectet, quæ in his fit, qui vel potestati nostræ vel affectui sunt subjecti: Quorsum non immerito & illa refertur, cujus sumus hæredes, vel si fama ejus, cujus sumus hæredes laceffatur, §. 3. & 4. ff. de injur. & famos. lib. Præter verbalem & realem datur (4) quoq; pecularis injuriarum species, quæ scriptis fit; Et hæc si Autoris nomen contineat, vel reverà sciatur, quis illud scripserit, καὶ ἐξ ὧν injuria quæ in scriptis fit, appellatur, & in illa ratione poenæ nil est statutum, Si autem suppresso fiat nomine, in specie vocatur *Famosus libellus* ein Pasquil, i. e. scriptura contumeliosa, incerto autore & suppresso nomine, in



publico loco affixa, *l. lex Cornelia, §. si quis librum, l. quod Senatusconsultum, & aliis. ff. de injur.* Hujus poena de jure Civili capitalis est, *l. un. C. de famos. libell.* quam tamen nonnulli interpretantur de poena exilii, vel deportationis, *Harprecht. in §. injuria. n. 160. Inst. de injur.* Solet in hoc delicto etiam ea imponi poena quæ imputatur in pasquillo: Quæ tamen poena ad propalantem non extenditur, vel qui inventor est, vel auxilium præstitit, *vid. Ord. Crimin. Carol. art. 110. adeamq. Matthiam Stephani. Item nobilissimum;* Jure Saxon. approbatur Sanctio Carolina in verb. const. 44. p. 4. Ordnen und setzen auch darüber/wann einer jemand durch Schrifften diffamiren und seinen Namen nicht bekennen würde/do er gleich solches folgendes könnte ausführen/das derselbe gleichwohl auch willkührlich entweder mit Staupenschlagen/ Verweisung/oder Gefängniß/nach gelegenheit der Verbrechung gestrafft werden soll. Quâ poenâ vero afficiendus sit autor Famosi libelli, si crimen objectum probet, *vid. apud Carpz. pract. crim. part. 2. q. 98. n. 40 & seqq. (5) Præter verbalem, realem & eam, quæ in scriptis fit, alia etiam fit picturâ, quæ scripturæ comparatur, l. Cornel. §. si quis. ff. de injur. & famos. libell., Petr. Theodor. Colleg. Crimin. Disp. 2. tit. 16. lit. 1. (6) Ratione quantitatis vel qualitatis alia dicitur atrox injuria, quæ æstimatur ex facto, ut periculo vulneris, si aliquis fustibus cœsus, vel ex loco publico, sacro, religioso, in judicio, vel ex persona, qualis est illa quæ parentibus & Magistratui infertur Patronis, & deniq; ex loco vulneris, v. c. oculis, §. atrox. 9. Inst., & l. 7. §. atrocem. ff. de injur., alia autem levis.*

Et hæc circumstantiæ à Judice in pœnis irrogandis circumspectæ sunt attendendæ; Ut nihil in injuriis magis Judici opus sit, quam nosse differentiam injuriarum atrocium & levium, *Jacob. Menoch. de arbitr. Jud. quest. cent. 3. cas. 263. n. 5., Rutger. Ruland. de Commissariis. p. 4. lib. 7. c. 6. n. 44.* Nunc tribus etiam ad Actionem injuriarum & poenam.

9 De omni Injuria, eum qui passus est, posse vel civili-  
ter



ET FAMOSIS LIBELLIS

ter vel criminaliter agere, testatur §. 10. in summa. Inst. de injur. Et si quidem civiliter agatur æstimatione factâ, pœna imponitur, sin autem criminaliter, officio Judicis, extra ordinaria pœna Reo irrogatur.

Actio nempe *Injuriarum* vel civilis est, vel *Criminalis*, & illa quidem vel æstimatoria est ad certam multam à Reo solvendam, & actori applicandam §. 7. Inst. h. t. vel moribus hodiernis ad Palinodiam & recantationem, *Nemes. Carol. p. 2. tit. 28.* und sonderlich setzen etc. Et de hac ad Palinodiam sciendum, quod tam cum actione civili quam criminali cumulari possit, *Perez. ad C. de injur. n. 22. Gail. lib. 1. observ. 65., Struv. Syntagm. Jur., Exercit. 48. th. 60.* Ratio est, quod Actio ad Palinodiam potius rei persecutionem, quam pœnam spectare videatur, & ita cum æstimatoria & criminali bene conjungi possit, arg. l. 7. ff. de conduct. furt., l. 34. ff. de O. & A., *Joach. Schnob. disp. pand. 24. th. 10.* De Jure Saxonico veteri levis pœna 30. solidorum erat in injuriis statuta; Verùm cum viri honesti vitam & famam eodem loco, imo jacturam vitæ & existimationis, graviolem quam vitæ & valetudinis habeant, constituta est pœna Palinodiæ, quæ conjungi potest cum pœna pecuniaria, carcere, vel alia pœna, relegationis vel fustigationis *Const. Elect. Divi August. pag. 4. c. 42. in verb.* setzen und wollen/ daß ein jeglicher wer der auch were so freventlicher und muthwilliger weise den andern an Ehren schmähen/ lästern/ schänden/ und injuriren / und derhalben rechtlich beklagt würde/ dem beschwerten und injurirten Theil einen öffentlichen Wiederruff für Gerichte zu thun schuldig seyn; darüber auch und darneben/ soll auch solcher muthwilliger Schänder und Injuriant wilkürlich mit einer hohen Geld- Busse/ Gefängniß/ oder zeitlichen Verweisung / auch der Personen etc. Umstände nach mit Staupenschlägen des Landes ewig verwiesen werden.

Injuriam tamen qui passus est, liberam habet electionem, num judiciali vel extra judiciali uti velit remedio, nempe Retorsione: Et hæc Retorsio, quamvis pugnare vide-



52 DE INJURIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

deatur cum amore Christiano, jure tamen probatur, quod non tam faciat ad honorem alteri denegandum, quam sui ipsius brevi manu absque strepitu judicii conservandum; De Jure Saxon. nov. Retorsio certis limitibus concessa est, de qua vide Decis. 85. ob in Verbal Injurien die Retorsion zulässig. Quo tn. remedio Retorsionis si quis usus fuerit, Actio injuriarum non competit sed expirat, *Struv. Syntagm. Jurispr. Exercit. 48. tb. 61.* Et retorsio non præjudicat Magistratui, quominus injuriantem punire queat, *Carpz. pr. crim. p. 2. q. 97. n. 41.*

II Sequitur poena, actionem Injuriarum concomitans, quæ plerumq; est infamia, *l. 1. ff. de his qui not. infam.*, quod tn. fallit in injuria levi, *arg. l. 17. § 3. l. 40. ff. de injur.*, quamvis infamiae irrogatio, etiam sæpissimè in atrocioribus cesset injuriis, *Carpz. pract. crim. p. 2. q. 94. n. 78.* De Jure Civili pro injuria verbali pro modo delicti arbitraria est poena, *l. ult. ff. de injur. Prossper. Farinac. q. 105. n. 65.*, exilium temporale, fustigatio, ordinis amotio, &c. De Jure Sax. vero novo, Palinodia & poenæ arbitrariæ locus est, poena tn. mortis, etiam ob atrocissimas injurias verbales, hodiè irrogari nequit uti multis deducit *Carpz. pract. crimin. q. 94. p. 2.* Poena quoq; in usu est in injuriis pecuniaria, quando injuria aestimatur ab injuriato, vel jurato vel non, quam tamen comitatur moderatio judicis, *vid. Carpz. pract. crim. p. 2. quest. 94.*

II Exspirat tandem actio injuriarum (1) dissimulatione *l. 31. C. de liberal. caus.* (2) remissione tacita & expressa, (3) præscriptione annali, (4) Retorsione, & deniq; quando injuriatus agit ex *l. diffamari*, *Struv. Syntagm. Jurispr. Exercit. 48. tb. 63. § seq.*, *Carpz. pract. crim. p. 2. q. 99.* Quibus accedit, si quis ratione officii, ob correctionem, aut aliis modis, ab animo injurioso excusatur, non verò tollitur ob convicii veritatem, protestationem honoris, & prænitentia conviciatoris, *Petr. Theodor. Colleg. Crimin. disp. 2. tb. 21.*

Et tantum de Privatis Delictis. De Extraordinariis enim & popularibus, peculiari agetur bono cum Deo Dissertatione, postquam dictum fuerit de Publicorum Judiciorum

Delictis.

SOLI DEO GLORIA.











Wittenberg, Diss., 1664-65

ULB Halle  
004 716 361


3




1

VD17









Q. D. B. V. 871.  
COLLEGII CRIMINALIS PUBLICI 26  
DISSERTATIO PRIMA  
De 1665 6  
**OBLIGATIO.**  
NIBUS EX DELICTO,  
&  
PRIVATIS DELICTIS  
in Specie  
Quam  
Consensu Amplissimæ Facultatis  
JURIDICÆ,  
IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI,  
PRÆSIDE  
Viro Excellentissimo, Nobilissimo & Consultissimo  
DN. WERNEROTHEODORO MARTINI,  
J. U. D. & PAND. P. P. CELEBERRIMO, CONSI-  
LIARIO ELECT. SAXON., CURIÆ ELECT. CONSI-  
STORII ECCLESIAST., FACULT. ET SCABIN.  
ASSESSORE GRAVISSIMO, p. t. DECANO  
SPECTABILI.  
Dn. Patrono, Cognato & Hospite suo omni observantia & bonoris cultu profe-  
quendo, Publica ventilationi submittit  
ERNESTUS FRIDERICUS HÜBENER,  
Martisburg.  
In Auditorio Jctorum  
ad d. 11. Novemb.  
WITTEBERGÆ, LITERIS MICHAELIS Wendt / Anno 1665.